



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Juris Canonici Theoria Et Praxis, Ad Forum Tam
Sacramentale quàm contentiosum, tum Ecclesiasticum,
tum Seculare**

Cabassut, Jean

Lugduni, 1698

Liber Primus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62355](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62355)



JURIS
CANONICI
THEORIA ET PRÆXIS.
LIBER PRIMUS

CAPUT PRIMUM.

*Præcipuus ac ultimus finis, ad quem collimare
debet Canonica Jurisprudencia: materia circa
quam versatur, ejusque partitiones.*



STUPENDA prorsus, nec unquam satis deplo-
randa est humani cæcitas animi, quem Divinus Spi-
ritus suâ illâ supernaturali luce non collustraverit.
Cum enim nihil ita hominis intersit, eique tam ne-
cessarium sit, ut est cognitio finis ac felicitatis suæ,
ad quam omnis vita, omnisque actus dirigendus sit;
ipsi tamen Gentiles Philosophi, qui omne ferè stu-
dium ad hanc perquisitionem contulerunt, à scopo
isto ad eò infelicitè aberrarunt, ut veterum Romanorum doctissimus Varro,
teste Augustino lib. 19. de Civit. Dei, cap. 1. ducentas octoginta & octo
diversas

diversas de fine, summoque hominis bono sententias collegerit: cum tamen ex tanto sententiarum numero non nisi unica possit esse vera & complectenda, ea scilicet, quæ finem, summumque hominis bonum in unius Dei fruitione constituit. Hanc verò tanti momenti notitiam singulari felicitate ingenii Plato, quem Divinum cognominavit Antiquitas, assequutus est, de quo idem sic testatur Augustinus lib. 8. de Civit. Dei, cap. 5. *Plata Dei imitorem, cognitorem & amatorem dixit esse sapientem, cujus participatione sui beatus.*

Hunc sensum diu ante Platonis ortum piorum animis infuderat Deus; Abrahamo quippe Fidelium patri sic promiserat: *Noli timere Abram, ego protector tuus, & merces tua magna nimis.* Idemque per Regium Prophetam pronuntiaverat: *Beatus populus, cujus Dominus Deus ejus.* Facessat illa Sapientium Chaldæorum insipientia Regi Nabuchodonosori asseverantium, nullam esse Deorum cum hominibus conversationem, Daniel. 2. Verum istud quidem de falsis & inanibus, quos colebant, Diis: sed non de vero & unico, qui solus colendus est, Deo nobis asseverante delicias suas esse cum filiis hominum, & quem suus amor ad hoc impulit, ut juxta prophetiam Baruch, in terris tandem vilus sit, & cum hominibus conversatus fuerit. Neque verò sibi quisquam persuadeat, obstare Dei cum homine consortio infinitam illam, quæ inter ambos interjecta est, disparitatem: quin potius illa tanta inæqualitas conciliatrix est admirabilis Dei nobiscum commercii, hoc præsupposito, Deum esse infinitæ, immensæque bonitatis. Est enim bonitas, ut divinus docet Dionysius, sui diffusiva: & quo major est bonitas, eo ipsa magis appetit esse in alios benefica; sicut quo major est ignis, eo latius suum diffundit ardorem. Hoc ipsum præclare significat illa insignis Platoniorum veterum fabula de connubio Pori divitiarum Dei cum paupertate inuito, ex quo progenitus sit amor. Quæcumque enim natura conjunctam habet cum bonitate felicitatem, desiderio afficitur locupletandi inferiorem naturam egestate laborantem; atque hæc vicissim desiderio ardet conjungi cum natura benefica & opulenta, cujus communionem suam suppleatur indigentia, suæque miseriæ succurratur. Hujusmodi cernitur convenientia mutui amoris inter nutricem, cujus ubera lacte turgent, & infantem aviditate sugendi præ fame laborantem, ex qua oppositione mutui inardescit amor, quo nutrix infantem, & infans nutricem appetit. Hac ratione egestas ac miseria humana Divinam provocat bonitatem & opulentiam, afficitque misericordie ad commiserandum & opitulandum nobis, unde conciliatur æternum mutui amoris commercium ac fecdus.

Quanta verò inde fidelibus fiducia innascitur, quàm dulce solamen exurgit perspicentibus non in terris, non in cœlis, non in hominibus, non in Angelis, non in ulla quantumvis præcellenti re creata, sed in ipso æterno, immenso & infinito Deo, ejusque perenni fruitione suam habere collocatam, & stabilitam felicitatem! Huc ergo, & non aliò vitam omnem nostram,

omne

omne studium, omnes actus nostros, omnemque rerum presentium usum referamus, dirigamus & intendamus: nec aliud appetamus & consectemur nisi Deum, & pari cum Propheta cordis affectu exclamemus: *Quid mihi est in caelo, & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: Deus cordis mei, & pars mea Deus in aeternum.*

Virtutes porro, in quibus illi, qui minus hallucinabantur Philosophi, hominis finem ac felicitatem collocabant, amor ipse Dei, quo inardescere corda nostra debent, sibi aded vindicat, ut suas eis conditiones & proprietates impertiat, faciatque illas suis conatibus & sanctis affectibus ancillari. Charitatis namque perinde ac ignis proprium est, ut quaecunque attingit, in sui obsequium, ac demum immutata in suam naturam convertat. Egregie itaque Augustinus in epist. 53. ad Macedonium: *Virtus (inquit) non est nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est: nullis inde averti molestis, fortitudo est: nullis illecebris, temperantia: nullam superbiam, iustitia est. Quid autem eligemus, quod precipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est.* Haecenus Augustinus.

Disciplina ergo, qua ad iustitiam erudimur, tota ad dilectionem Dei traducenda est. Iudicia etiam causarum, quae sunt ipsius iustitiae usus ac exercitium, ad unum divini amoris scopum dirigi debent: atque omnium Iudicium, sive Ecclesiasticorum, sive Saecularium auribus semper insonare debent ista verè aurea Regis Josaphati monita 2. Paralip. 19. *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini. Et quodcumque iudicaveritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Spectabilis est Justiniana lex *Rem non novam*, Cod. de iudiciis, de iurejurando à Iudicibus & causarum Patronis praestando, & de habendo assidue sacrarum Scripturarum Codice in ipso iudicii loco.

Theologica disciplina, & Jurisprudencia Canonica, quasi germanae sorores & gemellae, pleraque inter se communia simul habent: ambae namque directe & immediate ad religionem spectant, ambae pariter circa eadem ferè subjecta versantur, Scripturas sacras & divinas traditiones, Conciliorum, Summorumque Pontificum constitutiones, Sanctorum Patrum scripta. Id tamen discriminis intercedit, quod Theologica disciplina ex se merè speculativa est, & in divinarum rerum cognitione quiescit; cum tamen Canonica Jurisprudencia referatur ad praxim, scilicet Ecclesiarum regimen, tum in spiritualibus, tum in temporalibus earundem rebus.

Materia porro Canonici Juris dividitur in res Fidei, & in res quae circa disciplinam versantur. Res Fidei comprehenduntur partim sacris utriusque Testamenti paginis, partim Traditionibus Apostolicis, quae ut unanimes docent SS. Patres, pari nituntur cum divinis Scripturis auctoritate, ut tradit canon *Ecclesiasticum*, dist. 11. desumptus ex Basilii libro de Spiritu Sancto,

cap. 27. Circa res verò disciplinae, quaedam sunt per universam Ecclesiam receptae, aliae non ubique, sed certis quibusdam locis invaluerunt. De illis quae in universa servantur Ecclesia egregium est Augustini documentum epist. 118. ad Januarium: *Illae (inquit) quae non scriptae, sed traditae custodimus, quae quidem toto orbe terrarum servantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel à plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri: sicut quod Domini Passio, Resurrectio, atque Ascensio in caelum, & adveniens de caelo Spiritus Sancti anniversaria celebratae veneratur. Sed neque in rebus disciplinae, quae universali auctoritate stabilitae, usque communi ubique receptae sunt, fas cuiquam fuerit abscedere vel transgredi quidquam, ut est praefixus à Nicæna Synodo Paschalis celebratae dies. Accidunt nihilominus pro particularium Ecclesiarum ac locorum institutis atque usibus diversi ritus consuetudinesque, quibus soli locorum incolae astringuntur: adveniens autem consilium datur à SS. Patribus Ambrosio & Augustino, ut dum in eisdem versantur locis, se his pariter usibus accommodent; non enim sunt à delicto immunes, si scandalum inferant, juxta monitum Apostolicum 1. Corinth. 8. de usu escae alioqui licitae, si frater inde scandalizetur.*

Sanctus istis adstipulatur Augustinus in eadem epistola 118. dicens: *Aliae verò quae per loca terrarum regionesque variantur, sicut est quod alii jejunant Sabbata, alii verò non: alii communicant quotidie corpori & sanguini Christi, alii certis diebus; & si quid aliud adverti potest, totum hoc genus liberis habet observationes, nec disciplina ulla est in illis melior gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo viderit agere Ecclesiam, ad quamcunque devenit. Additque ibidem, beatissimae memoriae virum Ambrosium illa consuluisset, atque ita solitum agere, ut Romae quidem hospitans Sabbato jejunaret; sed non Mediolani degens, ubi nihil tale praecipitum, aut moribus receptum erat. Huc pertinet alterius Augustini interrogatio, & ad ipsum Gregorii Magni Papae responsio, eidem suadens, ut ex diversis usibus ac ritibus, quos sive Romae, sive in Gallicanis Ecclesiis viderit servari, eos in novae Angliae Ecclesiis instituat, quos magis ad populorum pietatem, & ad majorem Dei cultum conducere judicabit.*

In summa, Jure duplici constat universa haec Jurisprudencia, scripto scilicet, & non scripto, seu consuetudine. Scriptum Jus sacrae utriusque Testamenti volumina comprehendit, praeterea scriptis exaratos Conciliorum Ecclesiae Canones, Pontificum etiam Romanorum Constitutiones, itemque pro diversis locis inferiorum Episcoporum Sanctiones, sanctorum insuper Doctorum sententias. Divinarum porro Scripturarum completus catalogus recensetur in Concilio Cartaginensi tertio, can. 47. & in altero Romano septuaginta Episcoporum, cui praesedit Gelasius Pontifex: praeterea in Tridentino sess. 4. Refertur simul & ab Innocentio Papa I. in epistola ad Exuperium Tolosanum Antistitem, & ab Augustino lib. 2. de doctrina Christiana.

Christiana, cap. 8. Item ab Isidoro libro 1. Etymologiarum, cap. 1. & à Cassiodoro lib. 1. divinarum lectionum. Sanè vetustioribus quæ præcesserant temporibus, hac de re non erat pari evidentiâ definitum. De quibusdam quidem unus erat universorum Catholicorum consensus: At de quibusdam aliis inter ipsos decertabatur, an sacris accensendi essent, an ad apocryphorum classem relegandi. Quæ causa est cur nonnulli silentio prætereantur libri in præcis quibusdam catalogis, qualis est Laodicenæ Synodi can. ult. Epiphaniî libro de ponderibus & mensuris, Gregorî Nazianzeni in carmine de Sacris Scripturis, & Hieronymi in Prologo Galeato.

Conciliorum Ecclesiæ quadruplex numeratur, discrimen, inter quæ primum authoritatis gradum obtinent œcumenica, seu generalia Concilia, in quæ univèrsa diversis ex nationibus confluit Ecclesiâ. Horum convocatio ad Romanum Episcopum Petri successorem pertinet, cuius sollicitudini & potestati Christus Dominus universum ovile commisit. Secundum dignitatis gradum nationalia Concilia sibi vendicant, ad quæ diversarum provinciarum Episcopi conveniunt. Tertium gradum tenent provincialia, ad quæ convocantur circumvicini sub uno Metropolitanæ Episcopi. Quartum diœcesanæ Synodi sub uno tantum Episcopo. At tamen diœcesanæ Synodi antiquitus dicebantur illæ, in quas diversi confluebant cum suffraganeis Episcopis Metropolitanæ diversis ex provinciis profecti. Olim enim multò latius patebat Diœcesis nomen, complectebatur quippè plures provincias uni alicui Patriarchæ, aut Primati, aut Exarchæ subditas. De Exarchis vide Concilium Chalcedonense can. 9. & 17.

Contigit aliquando ut Concilium nationale plures numeraret Episcopos, quàm univèrsalia, seu œcumenica nonnulla: nec tamen ex ampliore numero parem cum istis nancisci poterat authoritatem. Semperque tenenda ista est Augustini regula libro 2. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3. *Ipsa Concilia qua per singulas regiones vel provincias sunt, plenariorum Conciliorum authoritati, qua sunt ex universo orbe Christiano, sine ulla ambigibus cedunt.* Tenenda similiter ejusdem Sancti Doctòris ibidem relata regula est: *Ipsa pleniora Concilia sape priora posterioribus emendantur, quum aliquo experimento rerum aperitur quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat.*

De indicta ab uno Episcopo intra proprios fines Synodo parum consultè scripsit Gratianus initio distinctionis 18. esse invalidam ad definiendum & constituendum, & solummodò valere ad corrigendum & arguendum; eique meritò Glossa contradicit his verbis: *Istud non est verum, quia Episcopi bene condere Canones possunt Episcopales, & Archiepiscopus Provinciales: quia quilibet Episcopus, & qualibet Ecclesia sibi potest statuere aliquod jus.* Idque multis Canonibus confirmat.



CAPUT II.

De diversis Sacrorum Canonum Collectionibus.

I. **N**EC inutilis, nec injucunda erit ista tractatio, cujus exemplum & specimen dedere tum Pomponius Jurisconsultus, tum illi, qui jubente Imperatore Justiniano Digestum Juris concinnantes tractatum pramiserunt de origine Juris. Quod scribit Theodoritus comment. 1. Timoht. 5. *Ἐκ τῆς ἀπειρίας ἢ νομοθεσίας γὰρ ἔκλυται, ἀβ' ἐμπειρίας ἄρχεται ἡ νόμος*; id usuenit in Ecclesiæ politia & regimine. Ejus enim primordiis, consuetudine ab Apostolis introducta, & ab Apostolorum successoribus Episcopis sollicitè conservata, Christianorum societas regebatur, quæ consuetudo nomine Traditionis significatur ab Apostolo Paulo dicente 2. Thessalonic. 2. *State & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram*. Has deinde Apostolicas traditiones curaverunt aliqui Ecclesiarum Antifites, ne progressu temporum, aut incuriâ hominum deperirent, in scripturam redigi, sub nomine Apostolicarum Constitutionum, quales primus compilavit Clemens Papa & octoginta. His accessere Synodorum Decreta scriptis edita, & Summorum Pontificum Constitutiones & rescripta, Sanctorumque Ecclesiæ Doctorum collectæ sententiæ: ex quibus omnibus conflatum est Jus Canonicum, cujus compilationi plerique diversis temporibus suum laborem & industriam contulere, additis etiam alicubi quibusdam Imperialibus Legibus ac Edictis.

II. Prima Canonum occurrit illa collectio, cujus in sua præfatione meminjt Dionysius Abbas, quam refert continuisse Canones numero centum sexagintaquinque, desumptos ex Nicæna, cæterisque Græcorum Synodis: cujus etiam collectionis multiplex mentio fit in Synodo Chæcedonensi, actione 4. 11. & 13. atque alibi passim. Prima ipsa collectio à Græcis proculsa fuit: deinde conversis in Latinum Canonibus Græcis, ad Occidentis Ecclesias pervasit; quæ tamen Latina versio haud satis accurata Dionysio visa est. Eaque illum causa impulit ad suam contendam ex Græco fidelio rem translationem, ut idem in suæ collectionis præfatione fidem facit. Siquidem paulò ante Dionysianam collectionem præcesserat Ferrandi Cârthaginensis Ecclesiæ Diaconi Canonum ex Græco in Latinum sermonem conversio: Ferrandus verò & Dionysius iisdem vixerunt & floruerunt temporibus, sub imperiis Justini I.

&

& Justiniani. Abbatis quidem Dionysii editio defæciatior est, & translatio accuratior quam illa cuius Ferrandus est Author, in cuius lectione non pauci occurrunt navi. Præterea Dionysius Canones inscriptos Apostolorum, numero quinquaginta, Latinos à se factos suæ attexit collectioni, quorum nullatenus meminit Ferrandus in sua, ut vocat, Canonum breviatione, neque aliæ ullæ quæ præcesserant collectiones. His adde, Ferrandum nullos ex celeberrimis œcumenicis Conciliis Ephesino & Chalcedonensi proferre Canones, quia Græca ipsa, quam sequitur, collectio nihil horum continebat. At verò suæ attexit Dionysius lucubrationi Latinitate à se donatos Canones Chalcedonenses, quam etiam epistolis auxit Summorum Pontificum, à Siricio exorsus usque ad Gelasium. Quis autem existimet, Ferrandum prudentiâ & pietate, omnique moderatione commendabilem virum, post accuratam Dionysii collectionem, præsumpsisse circa idem subjectum operam suam impendere voluisse cum tantis defectibus, quos potuerat visâ Dionysii editione facillimè emendare, quasi post inventas fruges & munera Cereris, voluisset homines ad glandes revocare. Præcessit ergo Ferrandi, successitque Dionysii editio, quam mox sublequuta fuit Martini Bracharenis Episcopi collectio: quem Authorem Gratianus per inscitiam sub nomine Martini Romani Pontificis allegare solet. Isthis quarto loco successit Canonum compilator Cresconius Episcopus Africanus.

III. Romana verò Ecclesia suum habere cœpit Canonum codicem jam inde à Julii Romani Pontificis regimine, qui subinde temporum insequentium decursu aliorum Canonum accessione succrevit ad Pontificatum usque Gelasii Papæ, cuius inibi aliquot decreta inferuntur. Codicem istum, qui multis sæculis delituerat, nuperrimè in lucem restituit Paschasius Quesnelius; Parisinus Oratorii Domini JESU Presbyter, ad trium vetustissimorum exemplarium, Oxoniensis, Thuanci, & Atrebatensis fidem. Codex autem, quem Justellus sub titulo Ecclesiæ Romanæ Canonum, de tenebris vindicaverat, non potuit esse quam privati alicujus vetus lucubratio, sed istâ Quesnelianâ tamen editione recentior. Quisquis tamen utramque collectionem penitus inspexerit, permultos in utraque tum ordinis temporum, tum ex Græco traductionum errores & hallucinationes deprehendet.

IV. Succedentibus subinde novis Pontificum, aut Conciliorum Constitutionibus, augebatur apud Romanum Tribunal Canonica Jurisprudentia, seu disciplina, ut admonet Leo Papa IV. can. *De libellis*, distinct. 20. his verbis: *Quibus autem utimur in omnibus Ecclesiasticis judiciis, sunt Canones, Apostolorum, Nicænorum, Ancyranorum, Neocæsarensium, Gangrensi-um, Antiocheni, Laodicensium, Constantinopolitanorum, Ephesinorum, Chalcedonensium, Sardicensium, Africanensium, Carthagenensium, & cum illis regula Præsulum Romanorum, Sylvestri, Siricii, Innocenti, Zosimi, Celestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii.*

& Gregorii junioris. Isti omnino sunt per quos judicant Episcopi, & per quos Episcopi simul judicantur & Clerici.

V. Successit istis Isidori Hispalensis collectio, sive sit ille Hispalensis Episcopus scriptis & sanctitate celeberrimus, ut existimat Hincmarus Rhemensis libro de Synodis, & Trithemius, alique; sive sit alius quispiam ejusdem nominis & civitatis, cognomento Mercator, ut censet Baronius. Hic ergo, qualiscumque sit, suam edidit Canonum collectionem, tum Apostolicorum, tum Synodicorum, tum Summorum Pontificum, eorum etiam qui Sylvestrum & Siricium præcesserunt: quanvis horum veritati diffidat Hincmarus Rhemensis scribens contra nepotem suum Hincmarum Episcopum Laudunensem, & autemet falsas & supposititias, quæ circumferuntur Constitutiones Romanorum Pontificum Siricio anteriorum. Sed ipse tamen refelli potest Nicolai I. testimonio jubentis in canone *Si Romanorum*, distinct. 19. à cunctis recipi & obtemperari Decretalibus illis antiquitate venerandis Romanorum Antistitum illorum, qui crebrescentibus Paganorum persecutionibus Ecclesiam rexerunt. Etsi enim negari non possit, aliquas sub illorum Pontificum nomine editas Decretales fuisse confictas; id quoque palam est, contigisse in aliis quibusdam, quæ posteriorum Pontificum nomine circumferuntur: neque conveniens est ob suppositionem quarumdam, omnibus in universum derogari fidem, quæ magnam sapientiam præferunt, & rebus, ac temporibus illis apprime quadrant. Eademque ratione omnes quoque Synodice Constitutiones exploderentur, quia harum aliquas constat esse falsò obtrusas. Ista porò Isidori collectio definit in secundum Hispalense Concilium, cui prædixisse compertum est Sanctum Isidorum Hispalensem Archiepiscopum. Isidori collectionem excepit altera Reginonis Abbatis Prumiensis, in duos distincta libros, quam penè deperditam eduxit in lucem vir eximiam eruditione & diligentia laude præclare de literis & literatis viris meritis Stephanus Baluzius. Hujusce collectionis à Reginone causæ meminerat dudum Bellarminus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum. Floruit Regino sub finem sæculi noni: scriptique præterea Chronicum satis pervulgatum.

VI. Hoc idem Canones colligendi studium capeffivit, felicique successu obivit inter Germanos Burcardus Vvormaciensis Episcopus, Ottonis III. & Henrici II. Bavari Imperatorum ætate. Hic primus non ordinem temporum, ut Dionysius & Isidorus; sed rerum & causarum seriem quasi in communes digessit locos. Nec minorem in Francia laudem adeptus est Ivo Carnotensis Episcopus, à quo editum est egregium Decretum. Floruit Ivo definente undecimo à natali Christi sæculo. Hujusce verò Decreti quandam sub nomine Pannormiæ, seu potius Pannoniæ edidit Epitomen incertus Author.

VII. In hac eadem Palæstra defudarunt Cresconius, Anselmus, Deusdedit

dedit Cardinalis, Gregorius Presbyter, qui volumen suum titulo *Polycarpi* inscripsit.

VIII. Istit demum omnibus successit Gratianus monachus Benedictinus in Monasterio Sancti Felicis, quod est in civitate Bononiensi, qui saeculo duodecimo Decreti sui opus exegit tempore Eugenii Papae III.

IX. Consulto filii collectionem Martini Bracarenfis Episcopi, quem Sanctus laudat Isidorus Hispalensis Episcopus in libro de Viris Illustribus, cap. 35. & in catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, cap. 22. Hic floruit circa annum Domini quingentesimum septimum. Sed etsi Latinus fuerit, solos tamen collegit Graecarum Synodorum Canones, quos Isidorus Mercator in suam derivavit collectionem.

X. Graecorum diversa quoque viguere diversis temporibus collectiones, quarum postrema, qua etiam nunc in Oriente utuntur, his partibus constat, Canonibus scilicet qui nomine *Apostolorum* inscribuntur, quinque & octoginta. Hos sequuntur Graecae octo Oecumenicae Synodi, suppressa ultima legitima, quae Photio Constantinopolitanae Sedis invalore derubato, Sanctum Ignatium restituit; ejusque Synodi loco supposita schismatica Synodo, cui Photius ipse denud intrusus post Ignatii obitum praesedit. His adjunxere Graeci solos ex omnibus Latinis Synodis Africanos in Graecum sermonem conversos canones, pariterque Sardicenses, & istis antiquiores provinciales Synodos in Oriente olim celebratas & orthodoxas; simulque Canones Antiochenos ab Arianis editos, necnon schismaticum Concilium Quinisextum in Trullo congregatum sub nomine Synodi Oecumenicae. His accedunt penitentiarum canones Authoribus editi Sanctis Patribus, Gregorio Neocaesarensi, Dionysio Alexandrino, & Basilio Magno. In istam collectionem commentaria brevia scripsere Zonaras & Theodorus Balsamon pseudo-Episcopus Antiochenus, ambo schismatici.

XI. Franci sub prima suorum Regum progenie suam quoque habuere Canonum collectionem, quae initio Canones Apostolorum nullos, sed tantum veterum Conciliorum Orientalium continebat, nescio an pariter Occidentalium, ut sunt Africana. Id admodum verisimile est, cum ipsi Graeci eos quoque suis collectionibus inseruerint. Sanè Pontifex Hormildas ipsiismet Clodovei primi inter nostrae gentis Reges Christiani coetaneus meminit collectionis Canonum Ecclesiae Gallicanae, in can. *Si quis Diaconus*, dist. 50. atque ibidem videri sententias Patrum trecentorum decem & octo contentas esse. Neque verò ambigendum videtur, fuisse quoque ibidem insertos veterum Gallicanorum Conciliorum Canones, quales plerique constituti fuere tum ante, tum post Clodovei Baptismum. Serius autem ad Gallicanam collectionem accesserunt Canones Apostolici, urgente hanc additionem Rege Chilperico, dum Praxetatum Rhotomagensis Episcopus persequitur reum apud ipsum Rhotomagensis Concilium. Suanenim Rex accusationem fundabat in transgressione Canonis Apostolorum vigesimi-


quarti, cujus autoritate instabat, Prætextatum esse Episcopatu abdicandum. Istam scribens historiam oculatus ipse testis Gregorius Turonensis ita de Chilperico Rege loquitur lib. 5. hist. Franc. cap. 18. *Ipsè verò ad Metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus adnexus habens Canones quasi Apostolicos, continentes hæc: Episcopus in homicidio, adulterio, aut perjurio deprehensus, à Sacerdotio divellatur.*

XII. Regnante postmodum secunda progenie, Adrianus I. ad Carolum Magnum Francorum Regem librum Canonum transmissit, quibus Romana Ecclesia utebatur, cujus visitur eximium exemplar in Abbacia Sancti Germani Parisiensi, conscriptum, ut ibidem notatur, anno regni Caroli Magni trigesimosextimo. Eaque collectio eadem prorsus est ac illa, cujus meminit Leo IV. in can. *De libellis*, dist. 20. iisdem namque partibus constat, scilicet Apostolorum Canonibus quinquaginta, & Canonibus Synodorum Orientis, & Africanarum, & Sardicenis: prætereaque Decretis Siricii, & sequentium Romæ Episcoporum usque ad Gregorium II. Huic exemplari præfigitur Adriani ad Carolum epistola, cujus linearum primæ literæ istud componunt Acrostichum, DOMINO EXCELL. FILIO CARULO REGI ADRIANUS PAPA.



CAPUT III.

Juris divisio.

I. ON potest cum præscriptis in Logica regulis perfectæ divisionis convenire illa Juris divisio, cujus est author Ulpianus in l. 1. D. de just. & jur. quâ scilicet Jus distinguit in publicum & privatum: & publicum quidem dicit esse, quod ad statum rei Romanæ spectat, atque in Sacris, in Sacerdotibus & in Magistratibus consistit. Privatum deinde tripartitò dividit, in Naturale, Gentium, & Civile. Cùm enim ratio doceat deducendam esse divisionem ab universalibus ad particularia, & à genere ad species ei subjectas; Ulpianus tamen ipsum universalissimum genus sub inferiori specie commiscet. Cùm enim nihil lætius pateat ipso Jure naturali, præsertim si spectetur ut commune brutis simul & hominibus, quâ ratione illud hic spectat & definit; istud tamen collocat, simulque Jus gentium & civile in infima distributione. Præterea idem Jurisconsultus Jus Romanorum publicum, quasi primam speciem collocat immediatè sub summo genere; cùm tamen nihil aliud sit quàm unæ ex individuis partibus Juris civilis, quod idem Ulpianus collocat in suæ divisionis specie infima. Cæterum quàm est alienum à recta ratione

tione quod ibidem his verbis affirmat ! *Jus naturale est quod natura omnia animalia docuit : nam jus istud non humani generis proprium est , sed omnium animalium quæ in terra , & quæ in mari nascuntur , avium quoque commune est . Hinc descendit maris & femina conjunctio , quam Matrimonium appellamus ; hinc liberorum procreatio , hinc educatio . Videmus enim cetera quoque animalia , feras etiam , istius juris peritiã censeri . Jus gentium est , quo gentes humane utuntur , quod à naturali recedere facile intelligere licet , quia illud omnibus animalibus , hoc solis hominibus inter se commune est .* Haecenus Ulpianus . Verumtamen cum solus homo rationis compos sit , solus etiam ex animalibus Juris capax esse potest : ratio enim ipsa Legis anima est atque Juris , l. *Cum pater filios* 77. §. *Dulcissimis* , D. de legat. 2. Quinimò hic idem Ulpianus l. 1. D. si quadrup. pauper. fec. dicat. disertè loquitur : *Pauperies est damnum sine injuria facientis datum : nec enim potest animal injuriam fecisse , quod sensu caret .* Ergo dicendum est contra Ulpianum , neque posse quidquam jure facere quod sensu caret , atque ita bruta esse in seipsis incapacia juris .

II. Sic igitur Jus dividendum esse reor , in Naturæ scilicet , & Civile . Deinde naturale Jus aliud est primævum , quod præcessit humani generis propagationem ; & ad Jus istud pertinent connubia , bonorum communio , mutua dilectio , & mutuum auxilium , & alia similia : aliud verò naturæ Jus dicendum est posterius , quod est sublequentum humanæ multiplicationem naturæ , quod est propriè Jus gentium , omnibusque gentibus commune , cujusmodi sunt divisiones terrarum atque bonorum , Rerumpublicarum constitutiones , jura civitatum , legationes , proprietates , dominiorum translationes , contractus , aliæque non modò quæ in statu primævæ innocentie (si hæc illibata diu perdurasset) extitissent , sed etiam post inductum in orbem terræ peccatum , ut sunt jura belli , servitutes hominum , & criminum poenæ : hæc enim jura cunctis gentibus promiscua sunt & communia . Jus autem Civile illud dicendum , quod quælibet Respublicæ seorsim sibi constituerunt , sive scriptum fuerit , sive non scriptum , qualis est consuetudo : sive etiam sacrum sit , quale est Jus Pontificium & Canonicum ; sive commune , ut Principum Leges , Magistratum Edicta .


III. De statu primævæ innocentie , si perstitisset post hominum multiplicationem , duo quæri possunt . Primò utrum ea perdurante fuisset introducta bonorum terræ divisio , proprietates ac dominia ? Secundò utrum fuissent in hominibus Regna ac Imperia ? Quoad primum , poterat etiam post propagatum humanum genus constitui civitatum divisio , & in singulis civitatibus rerum communitas , prudenti aliqua adhibita politia communium agrorum cultum , & fructuum ex agris nascentium in singulas sive familias , sive personas distributionem dispensante : poterat similiter induci agrorum distributio ; nihil enim habet quidquam horum quod cum statu communis innocentie repugnet . At verò de Regibus & Potestatibus hoc censetur

consensendum est post hominum propagationem, stante adhuc originali innocentia debuisse principatus & potestates quorundam hominum in alios homines stabiliri. Aut enim introductæ fuissent prædiorum divisiones, aut non fuissent: si primum, tunc necessaria potestas aliqua inter homines superior fuisset, quæ distributioni præset agrorum, quæque innumeras ambiguitates absque etiam humanis cupiditatibus injustis subnascentes circa rerum in multis casibus dominia, proprietates, usufructus, usus, servitutes prædiorum, alienationes, permutationes, sua posset autoritate judicioque dirimere. Si verò supponas ejus quæ ab initio extiterat communionis rerum stabilitatem, adhuc necesse fuisset Principes aliquos existere, qui dum singuli propriis, aut suarum familiarum commodis invigilant, communem intereâ utilitatem procurarent, eamque suis jussionibus & legibus constabilerent, ac singulis suas partes suaque officia cum illo ad commune bonum respectu distribuissent: atque ita sub se Magistratus & Officiales constituerent, aut communibus suffragiis eligi curarent. Sanctus Thomas in lib. 1. de regimine Principum, cap. 1. sic ait: *Naturale homini est ut in societate vivat multorum, & necesse est esse in hominibus per quem multitudo regatur. Nam cum unusquisque id quod sibi congruum est provideat, multitudo in diversa dispergitur, nisi sit qui boni communis curam gerat. Unde Salomon ait: Ubi non est gubernator, dissipabitur populus. Oportet ergo ut præter id quod movet ad proprium bonum uniuscujusque, sit etiam aliud quod moveat ad bonum commune multorum: propter quod & in omnibus quæ in unum ordinantur, invenitur aliquid quod alia regat. Hactenus Doctor Angelicus. Præterea docet Aristoteles lib. 3. Politic. cap. 4. hominem esse naturâ sociale animal. Sanctus etiam Chrysostomus in Itia caput 3. sic ait: *Nihil est intrahabilius Republicâ quæ caret principatu, quemadmodum neque periculosius quidquam est navis suo gubernatore destituta.**



CAPUT IV.

Quatenus lex humana liget secundum conscientiam.

- I. APIENTISSIME dissevit Apostolus Paulus, leges & decreta hominum in legitima potestate constitutorum, non tantum astringere subditos ad obtemperandum, vinculo humano ac politico subdente humanis pœnis infraactores; sed etiam divinâ lege, quæ ipsas animas & conscientias liget, subjiciatque supplicii post hanc vitam ab ipso Deo decretis. Cujus rei istam rationem profert,

profert, quia istiusmodi Potestates Deus approbat, eisque ut Dei vicem gerentibus subesse ac parere iubet: aded ut his inobedientes, divinis iustionibus refragentur. *Omnis anima (inquit) potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinate sunt. Itaque qui resistit potestati, ordinationi Dei resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Et mox: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Roman. 13. Quæ cum valeant in Principibus & Magistratibus politicis, multò magis urgent in Præfectis Ecclesiasticis, de quibus idem Apostolus ita præcipit Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddaturi.*

II. Duas hinc prosequor proprietates seu condiciones, quæ hujusmodi sunt, ut vel alterius harum defectu lex ipsa nullatenus liget. Prima est ut lex sit rationalis & iusta. Lex enim dicitur inventum Dei ac munus ad coercenda delicta, vitamque honestè instituendam, l. 2. D. de legib. Præfectis enim tum Ecclesiasticis, tum Sæcularibus potestatem Deus contulit, non in destructionem, sed in ædificationem, 2. Cor. 10. Et cum sacri Canones nullam & irritam ac inanem decernant esse excommunicationem quæ innocens astringitur, can. *Si quis non recto*, & can. *Cum aliquis*, 24. quæst. 3. idem asserendum pari ratione de legibus evidenter injustis, subditos his nullatenus astringi. *Deo enim obedire oportet magis quàm hominibus*, ut responderunt Petrus & Joannes Apostoli legalibus Sacerdotibus & Scribis, à quibus prohibiti fuerant Christum prædicare. Actuum 5. Neque enim licitum est obedire subalternæ potestati in his in quibus opponitur superiori potestati. Et sapienter ait Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 3. ad 1. *Potestati inferiori intantum aliquis subjici debet, inquantum Superioris ordinem servat, à quo si exorbitaverit, ei subjici non oportet.* Quod idem repetit 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp.

III. Itaque nulla usque aded sublimis & universalis est autoritas, sive in Civili, sive in Ecclesiastica Republica, cui liceat obtemperare, si quid jubeat contra bonos mores. * Quod idem sentiendum de pravis receptis consuetudinibus, dicente sancto Cypriano episc. ad Pompeianum: *Consuetudo quæ apud quosdam obrepserat, impedire non debet quominus veritas prævaleat; nam consuetudo sine veritate vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem.* Et habetur dist. 8. cap. *Consuetudo*. Vide cap. ult. de præscript.]

IV. Secunda legis tam Ecclesiasticæ quàm Civilis conditio est, ut promulgetur, alioqui non obligatura, utpote non sufficienter populis notificata, l. *Leges sacratissima*, Cod. de legib. item Authent. ut novæ factæ constitutiones, &c. Insuper canon *In istis*, §. *Leges*, dist. 4. *Leges* (inquit) *instituantur cum promulantur, firmanur autem cum moribus utentium comprobantur.* His suffragatur sanctus Thomas 1. 2. quæst. 90. art. 4. Ambigitur verò

ubinam promulgandæ sint novæ leges, sufficiatne in civitate primaria amplissima alicujus ditionis, an verò publicari quoque necesse sit in singulis provinciis? In omnibus quidem sæcularibus Regnis receptum videmus, ut in remotis provinciis leges neminem astringant, nisi ex quo in eisdem publicatæ fuerint. Multò magis idem requiri videtur circa sacra Decreta universo Christiano orbi præcepta, ut remotas provincias non ligent hac sola ratione, quia Romæ palam fuere proposita: Etenim talis promulgatio poterit fortassè sufficere ad notificandum populis Italiae, sed non Gallia, non Hispania, non Germania, non Polonia, non aliis remotioribus regionibus; cum ne in singulis quidem his Regnis sufficiat promulgatio Edicti Regii intra regiam solam civitatem facta. Cum enim idèd lex feratur, ut populi universitatem obliget, necesse est eam ita publicari, ut universo populo innotescat: nec satis est si uni, aut alteri nota sit. Quæ ratio allegatur in lege *Leges sacratissima*, Cod. de legib. Quo (inquit) *ab universis, quos constringunt, leges intelligantur*. Hæc est sententia Angeli verb. *Lex*, q. 12. Medinae ad l. 2. q. 90. art. 4. Lessii lib. 2. cap. 22. dub. 13. in princ. ubi consequenter affirmat diploma Pii V. de censibus, nullatenus obligare in Belgio, Gallia, & Germania, quia non fuit in his regionibus publicatum. Non me latet plerisque graves Scriptores, præsertim Italos, favere unicæ, quæ sit Romæ, promulgationi, eo quòd aliqua Pontificia diplomata id præ se ferant.

V. Nec verò sufficit competens promulgatio, si non sequitur legis apud populum receptio, ut habetur apud Gratianum can. *In istis, §. Leges, dist. 4. Leges instituuntur quum promulgantur, firmantur autem quum moribus utentium comprobantur*. Quinimò, ut ait lex *De quibus*, D. de legib. *Leges nullâ aliâ de causâ nos tenent, quàm quòd judicio populi receptæ sunt*. Et si verò Summorum Pontificum spiritualis potestas non ab hominibus, sed ab ipso Deo ortum ducat, idèdque non possit per homines limitari; quia tamen non præsumuntur hoc absolute velle, ut suæ constitutiones quamprimùm subditorum conscientias astringant, ne contingat ut potestas illis divinitus in animarum salutem collata vertatur in earundem perniciem, & vice debitæ adificationis pariat destructionem, contra Pauli monitum 2. Corinth. 13. idèd Bonacina de matrim. quæst. 2. punct. 7. cum Sanchez & aliis docet, hominem Italum & Catholicum licitè & validè contrahere matrimonium in partibus Græciæ sine Parochi assistentia. Et si namque schismatici & hæretici subjiciantur potestati Summi Pontificis & Concilii generalis; quia tamèn Tridentinum Concilium requirens ad matrimonii validitatem proprii Parochi præsentiam, non fuit in hujusmodi locis receptum, non ea est Ecclesiæ mens, ut is defectus nullitatem inducat in iis locis, ne ista occasione pro matrimoniis contrahantur fornicationes & stupra.


VI. At verò prorsus aliter judicandum est circa Decreta Fidei, quibus ligantur

ligantur quicumque privatim illorum habent sufficientem notitiam, quanvis neque in Provinciis promulgata, neque publicè recepta fuerint. Ratio est, quia reliqua decreta sunt humani, vel Ecclesiastici juris, neque ad jus divinum pertinent nisi mediata & remota, ideòque non obligant nisi juxta modum civilem & humanum: nimirum primariò quidem populum, secundariò autem singulos particulares, quatenus sub obligatione publica comprehenduntur. At verò divinæ leges seorsim singulos astringunt quibus plenè innotuerint, tametsi modo civili non fuerint promulgatæ vel receptæ; quippe quæ suum omnem vigorem immediatè à Deo ipso habent, & non ab hominibus. Sic infidelis astringitur obligatione fidei, si ei sufficienter, quanvis per privata colloquia, proponatur, ut contigit in eunucho Regina Candacis cum Philippo Diacono, Actuum 8. Et qui in Provincia diffusa certò sciret unum aliquod Fidei decretum fuisse Romæ ad valvas Apostolorum publicatum, hoc ipso illi acquiescere sufficienter teneretur.



CAPUT V.

Juris Canonici, & Civilis differentia, istiusque Operis divisio.

I.  ONVENIT cum Jure civili Jus canonicum, quatenus ambo intendunt hominum societatis directionem ad commune bonum. Hac enim in re versatur scopus & finis juris & legum, can. I. dist. 4. Sapienter docet Aristoteles lib. 4. politic. cap. 1. Potestatem publicam ad commune bonum institutam esse. Cicero quoque lib. 1. de legibus: *Salus (ait) populi suprema lex esto.* Differunt verò duo Jura ista secundum modum finemque particularem. Jus quippe civile intendit commune bonum, ut est conveniens humanæ in terris societatis, seu statui politico. At canonicum respicit commune bonum ut ad vitam referatur æternam finemque supernaturalem.

II. Itaque Jure canonico Jus quoque divinum comprehenditur, Sacra Scripturâ divinisque Traditionibus constans: Sanctiones pariter, Ecclesiasticæ à Pontificibus & Sacris Synodis profectæ: præterea consuetudines in Ecclesia receptæ. His adde civiles etiam leges, quas Ecclesiæ beneplacitum probavit & admisit, cujusmodi pleraque legimus in Gratiani Decreto insertas. Civiles namque constitutiones non aliter vim in Ecclesia obtinent quàm per ejusdem Ecclesiæ approbationem, cap. *Ecclesia sancta Maria*, de constitutionib.


III. Istam Canonici Juris tractationem in sex libros distribuimus: quorum

rum primus ager de personis, in quo de Summi Pontificis rescriptis, de Episcopis, aliisque Prælatibus, de Beneficiariis, de Clericis, de Regularibus pertractabitur. Secundus res Ecclesiasticas prosequetur, Præbendas, sacra loca, Decimas. Tertius Sacramentorum doctrinam tradet, præsertim Pœnitentiæ & Matrimonii. Quartus versabitur liber circa judicia & lites rerum Ecclesiasticarum. Quintus prosequetur delicta eorumque canonicas pœnas, & censurarum sylvam, & casuum reservatorum difficultates elucidabit. Sextus denique ad pleniorum Confessariorum & pœnitentium instructionem difficultates discutiet, quæ circa contractus & restitutiones versantur.



CAPUT VI.

De Summorum Pontificum Rescriptis generatim.

I.  ETRUS Rebuffus in praxi benef. tit. different. inter privil. rescr. & mand. scriptas dispositiones quæ ab Apostolica Sede proficiuntur, distinguit in privilegia, mandata, & rescripta: ipsa deinde rescripta distinguit in rescripta gratiæ, & rescripta justitiæ; quæ utraque pro formarum, in quibus expediri solent, diversitate dicuntur nunc Signaturæ, nunc Brevia, nunc Bullæ. Horum singula Breviter & dilucidè hîc exponam.

II. In primis verò istud est præmonendum, scriptis concessa à Principe sive Ecclesiastico, sive sæculari privilegia strictè esse interpretanda, *l. Si quando*, Cod. de inoffic. testam. & cap. 1. & 2. de privil. in 6. ubi Gloss. in d. cap. 1. hanc adducit rationem, quia omnis recessus à jure communi est odiosus. At verò privilegium est recessus à jure communi in favorem singularis personæ, *l. Jus singulare*, D. de legib. & can. fin. 2. §. 1.

III. Mandatum Apostolicum in Jure frequens illud est, quo Papa significat Ordinario ut certæ alicui personæ provideat de Beneficio, cap. *Mandatum*, cum duobus capp. sequent. de rescript. item cap. *Accepimus*, de atate & qualit. ordinand. & cap. *Dilecto*, de præbend. & cap. *Si Capitulo*, de concess. præbend. in 6. Mandata ista pro odiosis habentur, quia opponuntur juri communi, & quia potestatem Ordinariorum canonicam restringunt. Istiusmodi mandata & vacaturarum Præbendarum expectativas damnat Bonifacius VIII. cap. *Detestanda*, de concess. præb. in 6. Concilium olim Lateranense sub Alexandro III. in cap. *Nulla*, de concess. præbend. prohibuerat omnem Beneficii promissionem & provisionem, antequam vacet, utpote inducentem votum captandæ alterius mortis. Concilium Basileense, & in Regno Galliarum Pragmatica Sanctio, mandata omnia de providendo

dendo & beneficiorum expectativas, quas Galli dicunt *Survivances*, omnino sustulerant. Concordatum vero Bononiae initum inter Franciscum Regem & Leonem Papam, atque in Lateranensi Concilio approbatum, ita disponit & moderatur, ut quilibet Summus Pontifex semel in vita sua Ordinarium in hoc regno habentem collationem decem praebendarum gravare possit in una: & cum qui habet collationem quinquaginta, vel plurium, in duabus. Concord. in tit. de collat. in princ. & tit. de mandatis Apostol. Denique Tridentinum Concilium sess. 14. de reform. cap. 19. omnes expectativas, omniaque mandata de providendo prorsus revocat.

IV. Signaturae Apostolicae versantur circa diversa, sive circa beneficii per supplicationem petiti concessionem, sive circa absolutionem, aut dispensationem, aut rehabilitationem in favorem supplicantis. Scribuntur Signaturae in papyro, neque sigillo muniuntur, & ut plurimum his verbis expediuntur: *Eiat ut petitur.*

V. Breve Apostolicum est, ut describit Rebuffus, scriptura modica in parvis concessa negotiis, quae indifferenter in papyro, vel in membrana scribi solet, cera rubea aut viridi, Annuloque Piscatoris sigillata, & signo Secretarii subscripta. Fit autem in Brevibus mentio Annuli Piscatoris, non vero in aliis rescriptorum speciebus.

VI. Bullae sunt concessionem aut ordinationem in rebus gravioribus, nec nisi in membranis describuntur, & sunt aliquantò prolixiores quam Brevia, utpote continentes praefationem & clausulas quae in Brevibus Apostolicis supprimi solent. Sigilla Bullarum plumbea sunt, continentia Petri & Pauli Apostolorum effigiem. Et quoties Bulla expeditur in materia gratiae, sigillum appenditur è filis sericis: si vero sit Bulla in materia iustitiae, aut si sit executoria, appenditur plumbum filis cannabis. Ideoque in Bullis Consistorialium provisionum, quae Romae pro Gallici Regni Praelaturis expediuntur, cannabinus laqueus inferitur, quia post Concordatum supra memoratum, illae ad Regis nominationem quae sunt collationes, iustitiae sunt & necessitatis.

VII. Rescripta itaque, seu literae iustitiae sunt quae debitum petentibus auxilium impertunt, itaque ut plurimum ad litis ac iustitiae administrationem tendunt: cujusmodi sunt iudiciorum evocationes, Judicum delegationes, & quaecumque literae pro litibus vel instituendis vel restituendis impetrantur. Gratiae vero rescripta ex mera liberalitate & clementia procedunt, ut dispensationes, indulgentiae, remissiones, absolutiones, rehabilitationes, provisiones de dignitatibus aut beneficiis, tam in forma gratiae, vel pauperum, quam in forma *Dignum*. Denique rescripta iustitiae nihil juris attribuunt de novo, sed jus antea quaesitum vel confirmant, vel de illo cognosci jubent. Gratiae autem jus novum attribuunt impetranti: neque exigunt causae cognitionem, cum sint merae voluntatis, nisi falsitatis aut obreptionis arguantur, aut nisi nominatim aliquam conditionis

C clausulam

clausulam insertam habeant, qualis hæc est, *Si dignus eris*, in commissoriis beneficiorum collationibus, ut in cap. *Cum adeo*, de rescript. aut ista communis, *Si ita est*. Hoc demum discrimen literarum justitiæ & gratiæ vel ex ipso earum aspectu dignoscitur: Justitiæ quippe literæ signari solent per *Placet*: gratiæ autem per *Fiat*. Et in literis gratiæ nomen Papæ, quod primam literam inchoat, per capitales seu majusculas literas scribitur integrum: at in literis justitiæ sola nominis Papæ litera prima est majuscula, reliquæ ejusdem nominis literæ minusculæ sunt. In Bullis quoque speciale adhuc discrimen visitur, quod jam dictum est, laquei serici, & laquei canabini, quo plumbum appendi solet.

VIII. Literæ insuper gratiosæ impetrari possunt per aliquem Tertium sine speciali mandato, quanvis impetrans laicus sit: sic enim pro alio etiam infcio impetrari Ecclesiastica beneficia possunt per laicum, aliæque gratiæ, cap. *Nonnulli*, §. *sunt & alii*, de rescript. Ad literas autem justitiæ requiritur mandatum. Veruntamen Rebuffus in praxi benefic. different. int. rescript. num. 18. affirmat in Regni Franciæ Curii admitti indiscriminatim literas justitiæ, sicut & gratiæ, per tertiam personam absque mandato obtentas.

IX. Præterea literæ justitiæ, si non sint exequutioni mandata, expirant statim post annum, cap. *Si autem*, & cap. *Plerumque*, de rescr. At literæ gratiosæ perpetuam vim habent, l. *falso*, Cod. de diversis rescr. Gratiam quippe Principis decet esse mansuram, cap. *Si cui*, de præb. in 6. & cap. *Decet*, de regul. jur. in 6. Nisi quis ultra modum negligens fuerit, cap. *Si clericus*, & ibi Glossa & Doctores, de præb. in 6.

X. Posterius in eodem negotio rescriptum ab altera parte impetratum invalidum est, si de priore mentionem non facit; & prius rescriptum in suo robore permanet. Sed si posterius rescriptum mentionem faciat anterioris, illud abrogat in eo in quo est incompatible cum posteriori, cap. *Ceterum*, de rescr. Simile jus existit in collatione beneficii per Papam, ut si contra suam provisionem anteriorem, neque illius factâ mentionem, confert alicui idem beneficium, ista posterior collatio habeatur pro subreptitia, atque ideo sit invalida, cap. *Cum olim*, de sent. & re judic.

XI. Expressio falsi, quæ obreptio dicitur; itemque suppressio veri, quæ subreptio dici solet, si sit malitiosa, rescriptum reddit invalidum, cap. *Decenti*, 25. quæst. 2. Sed si ex ignorantia sola vel simplicitate processerit, sic est distinguendum: vel enim impetrans, te etiam integrè & verè expressâ, obtinisset judicio prudentis viri rem petitam, saltem in forma communi; eoque casu judex per id rescriptum delegatus procedere debet servato Juris ordine, non verò secundum specialem & extraordinariam rescripti formam. Sed si delegatus judicet apud se, quod rei veritate planè manifestata, & absque interventu obreptionis aut subreptionis, Papa non fuisset rescriptum concessurus, eo casu delegatus abstinere prorsus debet perinde

perinde ac si literæ nullæ impetratæ fuissent, cap. *Super literis*, de rescript. Hæc conformis existit dispositio legis 2. §. fin. ff. de donat. ut conditio donationi apposta, si talis sit ut ejus causâ & impulsu facta fuerit donatio, ex talis conditionis defectu donatio nulla judicanda sit: si verò mens donatoris præsumatur talis, ut etiãsi conditio apposta non existeret, effectum nihilominus donatio sortiretur, adjudicaretur res donataro sine cujus culpa conditio defecerit.

XII. Per rescriptum quo Papa mandat Ordinario ut corrigat suæ diocesis Clericos, non datur eidem in exemptos jurisdictione, cap. *Grave*, de offic. Ordin. Quod Capitulum (inquit ibi Fagnanus) facit contra Episcopos studiosè procurantes sibi mandari per literas Sacræ Congregationis Episcoporum, ut procedant in aliqua causa, sive sit civilis, sive criminalis, alias spectante ad ipsorum jurisdictionem ordinariam, hoc solo sine ut excludant appellationem ad Metropolitanum. Patet enim per hanc Decretalem, eos hujusmodi literis non constitui delegatos, ut necesse sit ad delegantem appellare, ut docet Glossa finalis in cap. *Dilecti*, il. 3. de appellat. Unde poterit ad Archiepiscopum nihilominus appellari, perinde ac si mandatum istud non extitisset, ut est casus apertus in cap. *Licet*, de offic. Ordin. Attamen si esset in literis istis apposta clausula, *Nostra auctoritate*, eo casu haberetur delegatus, & appellatio immediatè devolveretur ad Apostolicam Sedem.

XIII. Quum quis ad gratiam per rescriptum restituitur, hoc semper intelligendum, salvo jure alteri ante hanc restitutionem quæsito, nisi contrarium disertè exprimatur, cap. *Quavis* 8. de rescript. in 6. Quo loco addit Glossa, quod si ob perduellionis (quam feloniam vocant) crimen, bona alicujus fuerint fisco Principis applicata, ejusque feuda Princeps alteri contulerit, si postea contingat reum à Principe restitui pristinis bonis, non tamen per hoc tollitur jus feudi alteri quæsitum, nisi hoc ipsum Princeps expresserit.

XIV. Statuit Innocentius III. in Concilio Generali Lateranensi, & habetur in cap. *Nomulli*, de rescript. ne per literas Apostolicas quisquam trahatur ultra duas diætas extra suam diocesium, nisi vel constet has literas de partium consensu impetratas fuisse, vel huic constitutioni expressè in his literis derogetur. Quin etiã posterior Bonifacii VIII. constitutio providet, ne cause committantur ultra diætã unam à finibus diocesis computandam: ubi verò actor & reus erunt diversarum diocesium, diætã ista computetur à finibus diocesis ipsius Rei, cap. *Statutum*, §. *Cum verò*, & §. *Cum autem*, de rescript. in 6.

XV. Ubi quis contra adversarios suos rescriptum impetraverit, nec illud sive ex malitia, sive ex negligentia intra annum, ex quo judicium copiam habuit, produxerit, sed postea illud idem proferre voluerit ad eludendum posterius ab adversa parte impetratum rescriptum, quasi invalidum

hac ratione, quia mentionem non facit oppositi anterioris rescripti, statuitur in cap. *Plerumque*, de rescript. posterius valere, & nullatenus primum. Nemini enim sua fraus patrocinari debet.

XVI. Quoties Papa rescripto suo mandat aliquem externæ jurisdictionis actum, non committit aliquem Clericum, nisi in Ecclesiastica dignitate constitutum, vel habentem Personatum, aut ad minus Ecclesiæ Cathedralis Canonicum, frequentius verò Vicarium aut Officialem generalem, nunquam tamen Officialem foraneum, eo quod ejus potestas sit tantum particularis. Hæc habentur in cap. *Statutum*, de rescript. in 6. & in Clement. *Etsi*, eod. tit. & in Concilio Trident. sess. 2. cap. 10. de reform.

XVII. Notatu maxime dignum est caput *Significavit*, de offic. jud. ordin. ubi cum aliqui nuptias in gradu prohibito contraxissent, & querela hujusce scandalosæ & incestæ conjunctionis ad Papam delata fuisset, delegatus ab eo fuit Judex Ecclesiasticus in eadem diocesi, ad inquirendum & definitivè judicandum in ea causa. Verum delegatus exequi mandatum neglexit, partesque in pristino scandalo persistere permisit. Admonitus demum Papa rescripsit, Episcopum non in hac solum, sed generaliter in omnibus causis similibus posse negligentiam vel malitiam Apostolici Delegati supplere, & causas istiusmodi ex officio cognoscere, partesque ligare, aut solvere, prout judicaverit expedire.

XVIII. Rescripta & literæ, tam Papæ quàm Legati, quæ communi Ecclesiæ disciplinæ derogant, aut Ordinariorum minuunt auctoritatem ac jurisdictionem, quales sunt, exempli causa, dispensationes circa Monialium clausuram, aut ea rescripta quæ publicam habent executionem, debent ante omnia Ordinariis exhiberi, quorum officii est examinare utrum suppressione veri, aut suppositione falsi, aliòve gravi defectu literæ Apostolicæ vitentur: adeoque suum, ut vocant, *Visa*, & approbationem scripto apponere, vel denegare ac recusare, executionem permittere, aut prohibere, aut suspendere, cap. *Quod super his*, de fide instrum. & cap. *Porro*, de privileg. Porro Concilium Tridentinum in ejusmodi literarum Apostolicarum examine decernit, Episcopos esse Apostolicos Delegatos, sess. 13. cap. 5. & sess. 22. cap. 5. & sess. 24. cap. 11.

XIX. Circa Apostolicas literas dignissimum observatu est caput finale de offic. jud. deleg. decernens, si Delegati à Papa electa sit industria, non posse hunc Delegatum subdelegare. Electa verò censetur particularis personæ industria, quando ea persona proprio exprimitur nomine, & non tantum officii aut dignitatis designatione in literis delegationis. Præterea si nudum sine jurisdictione ministerium alicui etiam proprio nomine non designato Papa injunxit, hic non poterit subdelegare: ut si mandaverit Crucem prædicare, certam aliquam personam sui officii admonere, clam de aliquo facto inquirere, & similia. In his enim censetur electa personæ industria

dustria particularis. Denique absolutionis beneficium etiam circa casus Papæ reservatos, potest ab Apostolico Delegato, si ejus electa fuerit dignitas vel officium, alteri subdelegari ab eodem: sed non poterit, si proprio fuerit nomine appellatus, etiam cum dignitatis vel officii expressione, cap. fin. de offic. jud. ordin. Et statuit pariter Concilium Trident. sess. 14. c. 4. de casibus reservatis: & sess. 24. cap. 6. de reform. hæc ferè eadem.

XX. In Regno Galliarum producenti Signaturas, aliasve Romanæ Curie expeditiones nulla fides habetur, si non sint certificatæ à duobus trapezitis aut expeditionariis in ipso originali attestantibus & subscriptis, ut statuitur edicto Ludovici XIV. tit. 15. art. 8.



CAPUT VII.

De electione primum in genere: deinde de Episcoporum Electione, Postulatione, Consecratione, Characterè: & de Archiepiscopis.

I. **I**N hoc Galliarum regno locum non habet prisca & canonica Episcopos eligendi forma, ex quo per Leonis Papæ X. & Regis Francisci I. actum Bononiæ Concordatum, in usu esse desit Pragmatica Sanctio, & attributum est Francorum Regibus jus nominandi ad vacantes Episcopatus, aliæque beneficia consistorialia, retento sibi à Summis Pontificibus jure institutionis & annatæ. Quia verò electio Episcoporum est antiquissimi juris, adhuc ea locum quibusdam in populis obtinet, maximè in Germania: & quia generalissimè per universam Ecclesiam regulares Prælati ac Superiores, necnon plerique ex Clero, ad Præbendas & Beneficia nonnulla solent per Capitula eligi, opportunum est ut hoc loco ea quæ ad canonicam electionem requiruntur exponam.

II. Ad canonicam electionem cunctos qui jus habent suffragii, necesse est admoneri & vocari, adeò ut si vel unius citatio neglecta fuerit, ad hujus solius querelam tota insequuta electio nulla & irrita declaranda sit per judicis sententiam. Stabit tamen & valebit, si is qui vocatus non fuerit, suo saltem silentio videatur agnoscere, cap. *Quod sicut*, 28. de elect.

III. Legitimè absens, nec interesse valens, potest per procuratorem uni de Capitulo demandare votum ac suffragium suum per scrutinium, cap. *Quia propter*, eod. tit. Verumtamen ut satisfiat juri novo decernenti ut suffragia adeò sint secreta, ut nemini de Capitulo innotescant, debet isto

casu suffragium mitti scriptum in charta complicata, & alterius chartæ sigillato involacro inclusum, non antè aperiendo quàm intra Capitulum confusa in unum scripta scrutinia aperiantur. Cæterum in electione Papæ nihil horum servatur. Admonentur quidem absentes Cardinales, sed non expectantur, neque ulla recipiuntur absentium vota.

IV. Tribus modis ad electionem procedi potest. Primò per inspirationem, quâ eligentes derepentè quasi divinâ quadam motione in aliquem consentiunt. Secundò per scrutinium, eo quo paulò antè dictum est modo. Tertio per compromissum, quo nimirum eligendi potestas in unum vel plures communi omnium consensu confertur, d. cap. *Quia propter*. Olim quidem forma scrutini hęc erat, ut tres assumerentur de toto Collegio fide digni, qui singulorum vota recipiebant, & in scripturam redacta mox universo Capitulo referebant, ex Lateranensis Concilii Constitutione d. cap. *Quia propter*. Verumtamen exactiùs providens secreto & libertati electionum Concilium Trident. sess. 25. cap. 6. de Regularib. abrogatâ & antiquatâ formâ illâ trium suffragia colligentium, statuit fieri deinceps electiones per vota secreta, ita ut nulla ratione cuiquam innotescant, alioqui nulla sit & invalida electio. Quod quidem jus in Gallia & ubique terrarum usu recipitur.

V. Postulatio est ejus qui non potest legitimè in Prælatum eligi, facta à Capitulo petitiæ. Hęc ergo gratiam ac dispensationem Superioris implorat, cum tamen electio Juri innitatur. Itaque is qui ob aliquem defectum eligi canonicè non posset, ut est illegitimè natus, aut bigamus, postulari tamen potest. Sic decernitur c. *Cum in cunctis*, de election. non posse in Episcopum eligi eum qui sit minor annis triginta, sed eundem posse à Papa postulari. Idemque de illegitimè nato decernit dictum caput *Cum in cunctis*, §. 1. Præterea Episcopus non potest per electionem in alium transferri Episcopatum, cap. *Inter corporalia*, de translat. Episc. sed potest ritè à Summo Pontifice postulari.

* VI. Jam quaritur intra quod tempus electio peragenda sit? Respondeo, in Ecclesiis Cathedralibus, vel Regularibus peragenda esse intra trimestre, nisi Electores justo fuerint impedimento detenti, cap. *Ne pro defectu*, de elect. Debent postmodum Electores electo suam electionem notificare intra semestre, cap. *De multa*, de præb. & cap. *Nulla*, de concess. præb. ad consentiendum, vel dissentiendum electioni de se factæ. Ipsi autem electo indulgetur mensis computandus à die notificatæ electionis, cap. *Quam sit*, de elect. in 6. Ubi verò Religiosus fuerit electus, tum vel ipse, vel Electores debent, cum primùm poterunt, Superioris assensum vel confirmationem postulare. Gloss. ibid. Sed si intra trimestre non fuerit petita Superioris confirmatio, tum demùm electio, & quæ inde sequuta sunt, irrita, & inania erant. Hęc omnia sancivit Generale Concilium Lugdunense II. sub Gregorio Papa X.]

VII. Electus

VII. Electus in Episcopum, aut à Rege nominatus, non potest spiritualia administrare antequam fuerit à suprema Sede confirmatus, cap. *Nesti*, 9. cap. *Qualiter*, 17. de elect. At verò postquam fuerit à Papa institutus & confirmatus, quamvis nondum consecratus, potest ea quæ sunt Jurisdictionis quidem, sed non ea quæ sunt Ordinis Episcopalis exequi. Potest igitur in sua diocesi corrigere, excommunicare, suspendere, interdicerè, pro tribunali externo judicare, visitare, jurisdictionem delegare, non solum in externo seu contentioso foro, sed etiam in interno, quod est Pœnitentiæ sacramentalis: sed per se nequit illam exercere, nisi ipse sit Presbyter. Potest etiam Beneficia conferre, imò etiam Indulgentiam Episcopalem concedere, juxta Abbatem in cap. *Suffraganeis*, de elect. Sed non potest ea quæ sunt Ordinis Episcopalis exercere, ut Sacrum chrisma conficere, Ordinum aut Confirmationis Sacramenta conferre, Virgines benedicere, Altaria vel Ecclesias consecrare. Hæc enim requirunt Ordinis Episcopalis potestatem, quæ ille caret, cap. *Transmissam*, 15. de election.

VIII. Episcopi consecratio à tribus Episcopis facienda est, can. Apost. 1. & Nicæni Concilii can. 4. & can. fin. dist. 66. ubi Anacletus Papa exemplum adducit Jacobi Apostoli fratris Domini, quem ait Jerosolymæ Ordinatam Episcopum à tribus Apostolis, Petro, Joanne, & Jacobo Minore. Neque obstat quod Apostolatui, quem solus Christus contulerat, esset Episcopatus annexus: optimè namque responderet ibi Glossa, quod non propriè fuit Jacobus ordinatus, seu consecratus ab illis tribus, sed solum eidem Ecclesiæ deputatus ob commissam ipsi Judæorum conversionem & salutem. Qua tamen in re visum est Apostolis formam Episcopalis ordinationis deinceps in universa Ecclesia servandam proponere. Hæc magis placet responsio Glossæ, quam quæ ex Cardinali Joanne de Turcremata desumpta refertur, & approbatur à Cardinali Bellarmino lib. 1. de Summo Pontifice, cap. 23. scilicet Petrum à solo Christo Ordinem Episcopalem suscepisse, reliquos verò Apostolos non immediatè à Christo, sed per ministerium Petri. Hæc enim novitas frustrà & contra veterum Ecclesiæ Patrum mentem asseritur: & Paulus Galat. 1. profitetur apertè se Apostolum esse, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum.

IX. Circa Unctionem in Episcopi Consecratione adhibendam, legendum caput unicum de Sacra Unctione, in quo tractatur pariter de Unctione minorum Sacerdotum, atque Regum, & cæterorum fidelium in Baptismo, & de mysteriis in Sacra Unctione comprehensis.

X. Ex præscripto canonis *Quoniam*, dist. 75. & canonis 1. dist. 100. & Concilii Trident. sess. 23. cap. 2. Episcopi electi, etiam si Cardinales sint, si Consecrationem suam distulerint ultra tres menses postquam à Summo Pontifice consecrati fuerunt, tenentur perceptos fructus restituere: sed

sed si post alterum trimestre consecrari adhuc neglexerint, privati existunt ipso jure suis Ecclesiis.

XI. Existimant plerique Theologi, non imprimi in Episcopali Ordinatione distinctum à Sacerdotio characterem, sed solum advenire aliquam characteris Sacerdotalis extensionem. Ex adverso Canonistæ communiter ad can. *Cleros*, dist. 21. & ad can. *Perlellis*, dist. 25. asseverant novum Episcopis adjungi characterem. Et hos sequimur unâ cum Bellarmino lib. 1. de Sacris Ordin. cap. 5. ubi luculenter probat Episcopatum esse unum, non specie, sed genere Sacramentum cum Sacerdotio. Ordinum enim distinctio sumitur ex eorundem ad Sacram Eucharistiam habitudine. Et quia summa circa Eucharistiam potestas in consecratione versatur, ideo primus Ordo est Sacerdotium, nec alius isto superior aut major est Ordo. Quia tamen hanc summam potestatem diversimodè participant Episcopi, & inferiores Sacerdotes, binæ hinc surgunt Sacerdotum species. Inferiores enim Presbyteri dependent ab Episcopis in susceptione & usus potestatis, utpote ab illis consecrati, & à quibus quoad talis potestatis exercitium suspendi, interdici, aut solvi possunt. Itaque Episcopatus ex duabus coalescit distinctis Ordinationibus, unâ quidem cum cæteris Sacerdotibus communi, alterâ solis propriâ Episcopis, atque aded specie à priori distinctâ. Quo fit ut character Episcopalis non sit una simplex qualitas, sed quoddam ex duplici characterè compositum. Et proinde duo etiam exiguntur specie distincta Sacramenta ad unum constituendum Episcopum sub eodem Ordinis genere. Ordo verò respectu inferiorum, de quibus inter se differentibus prædicatur *in quid*, rationem habet generis, non supremi, sed subalterni, prout subalternatur Sacramento, quod est altius genus.

XII. Queritur quisnam ex duobus his characteribus sit major ac dignior? Respondendum, Sacerdotium præcisè sumptum esse majus & dignius, quia major & divinius potestas est conficere & sacrificare Christi corpus. Si tamen Episcopatum conjunctim & non divisim à Sacerdotio spectemus, sine dubio Episcopatus major est extensivè, quia ad plura extenditur quàm simplex Presbyteratus, quanvis seorsum & præcisè nihil contineat quod tanti Sacrificii dignitati par esse possit.

XIII. Quod attinet ad Metropolitanos, hi non solum cæteris Episcopis antestant ac præminent, sed etiam jurisdictione pollent in Suffraganeos, tum in appellationum causis, tum in jure diœceses ipsorum visitandi, tum in jure citandi eos ad Synodos Provinciales, quarum convocandarum potestatem habent. Possunt insuper in tota Provincia uti Pallio, & facere coram se Crucem elevatam gestari intra Suffraganeorum diœceses, Clement. *Archiepiscopo*, de privileg. & cap. 1. de authorit. & usu Pallii.

XIV. Verumtamen jus illud antiquissimum universam visitandi Provinciam valdè nunc imminutum videmus, nec est illius usus citra graves causas

causas raro evenientes. In primis Concilium VIII. Oecumenicum editionis Anastasii Romanæ Ecclesiæ Bibliothecarii, qui eidem interfuit, can. 19. admittit Metropolitanis jus visitandi suffraganeas dioceses: sed ille Canon minime receptus est in Ecclesiis Occidentis. Enimverò Archiepiscopus Ravennæ visitabat Bononiensem diocesim tunc temporis suffraganeam, sed posterius erectam in Metropolim, ut constat ex cap. *Sopite*, de censib. Idem jus Metropolitanò Provinciam totam visitandi astruit Innocentius IV. in cap. 1. de censib. & ante hunc Innocentius III. in epist. 85. Regesti 15. Idemque caput *Cum ex officii*, de præscription. Abbatem Sancti Maglorii condemnat ad solutionem jurium procurationis erga Senonensem Archiepiscopum, visitantem Abbatiam illam diocesis Parisiensis, quæ erat Senonensis Metropolis suffraganea: nostris verò diebus ex concessione Urbani VIII. facta est Metropolis. Quia tamen singulis Episcopis onus incumbit propriam diocesim invisendi, & quia ex diversis visitationibus diversorum Prælatorum circa easdem Ecclesias, & ex diversis aut oppositis circa rem eandem Decretis facile nasci possunt dissensiones, & nimis impensarum ac procurationum oneribus Ecclesiæ prægravari, his providens Tridentinum Concilium sanxit sess. 24. cap. 3. ne Archiepiscopi suorum suffraganeorum Ecclesias visitent, nisi ex causis in Provinciali Synodo approbatis.

XV. Quoad verò jus Provinciales Synodos indicendi, olim quidem illas convocare tenebantur Metropolitanæ bis singulis annis, ut liquet ex Apostolorum canone 37. & Nicæni Concilii canone 5. & Chalcedonensis can. 14. & ex Sardicensibus Decretis, aliisque veteribus Synodis. Cum verò multis seculis istud Officium ex Prælatorum incuria fuisset intermissum, edixit tandem Concilium Tridentinum, ut singulis trienniis per Provincias ad Synodum Episcopi convenirent, sess. 24. cap. 2. Hoc idem providetur in Galliæ Regno per Henrici III. Edictum anni 1580. art. 1. & Comitiorum Blefensium art. 10. & 24. Nihil utique sanctius ac verius isto Constantiensis Concilii oraculo sess. 39. *Frequens Conciliorum celebratio agri Domini cultura præcipua est, qua vepres, tribulos & spinas hæresium, & errorum, & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem uberrime fertilitatis adducit: illorum verò neglectus præmissa disseminat atque fovet.*

XVI. Archiepiscoporum quoque privilegium in Pallii usu versatur. Extraordinario aliquando privilegio & speciali favore quibusdam suffraganeis Episcopis Pallium à Papa concessum legimus; sic enim Siagrio Augustodunensi Episcopo Pallium transmisit Sanctus Gregorius Papa lib. 7. epist. 3. & 112. Episcopo etiam Quinqueecclesiensi ob singularia virtutum merita concessum fuisse ab Episcopo Romano Pallii usum, testatur caput penult. de præsumpt. Quia tamen privilegia ejusmodi gradus dignitatum confundunt, & æmulationes pariunt, ordinemque ac disciplinam Ecclesiæ

labefactant, à talibus gratificationibus omninò cessatum videmus à pluribus sæculis. Archiepiscopis autem non satis est fuisse consecratis, sed Pallio quoque ipsis à Romana Sede transmissò opus est, quia nec nomen, nec auctoritatem habent, nec eis licet Pontificalia exercere, antequam præstito Sedi Apostolica juramento fidei & obedientiæ, Pallium ab eadem obtinuerint, cap. *Nisi specialis*, de author. & usu Pall. & cap. *Bone memoria* 2. in fine, de postul. Prælar. Et quia viduatis Ecclesiis periculum imminet ex dilatione, cautum est ut intra tertium à die consecrationis suæ menssem Pallium petant Metropolitanani, ipsa verò consecratio non differatur ultra tres à provisione, seu confirmatione electionis de se factæ mensēs, can. *Quoniam*, dist. 100. Pallium deferre non licet eis nisi in Missarum solenniis, can. *Quoniam*, can. *Contra morem*, §. *Illud*, dist. 100. Nec verò in omnibus Missis, sed tantum solennium festivitatum, cap. *Ad honorem*, & cap. *Cum sis*, & cap. fin. de author. & usu Pall. Nec tantum in diocesi sua Metropolitana, sed etiam intra quamcunque subjectæ sibi provinciæ Ecclesiæ, cap. *Ex tuarum*, & cap. *Cum sis*, eod. tit. Solusque Papa potest semper & ubique Pallium gerere, quoniam assumptus est in plenitudinem universalis supra omnes Ecclesias potestatis, d. cap. *Ad honorem*. Lateranense Concilium generale sub Innocentio III. concessit quatuor Patriarchis, Constantinopolitano, Alexandrino, Antiocheno, & Jerosolymitano, ut postquam ipsi Pallium à Romano Pontifice acceperint, liceat eis deinceps Pallia suis suffraganeis largiri: at his quatuor exceptis, soli Romano Papæ Pallii dandi jus est, cap. *Antiqua*, de privileg. Denique Archiepiscopus alteri Archiepiscopo Pallium suum commodare non potest, neque quicumquam uti Pallio sui prædecessoris: Pallium enim personæ coheret, cumque illa debet sepeliri, cap. *Ad hoc*, de author. & usu Pallii.


XVII. Quod attinet ad jus præferendi vexillum sanctæ Crucis, Concilium Viennense hoc privilegium Archiepiscoporum sic exponit: *Archiepiscopo per quavis loca exempta sue Provincia facienti transiitum, aut ad eam forsitan declinanti, ut Crucem ante se libere portari faciat, benedicat populo, Divina Officia privatim vel publicè ibidem audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, & faciat in sua presentia sine Pontificalibus celebrari, quovis privilegio contrario non obstante, sacro approbante Concilio, presentis Constitutionis serie duximus concedendum.* Habetur in Clementina fin. de privileg. Hujusce privilegii Archiepiscopalis, faciendi Crucem erectam ante se deferri extra propriæ diocesis fines, meminit Alexander Papa III. cap. 1. ut lite pendente nihil innovetur, & Innocentius III. cap. *Antiqua*, de privileg. statuit, ut quatuor Orientis Patriarchæ possint hoc privilegio Crucis ante se deferendæ uti, non modò quacunque eorum Patriarchæ distendantur, sed etiam ubique, solà exceptâ Urbe Romanâ, & ubicunque Summus Pontifex presens exierit, aut ejus Legatus utens insignibus Apostolicæ dignitatis. Si igitur id Patriarchis indulgetur in locis in quibus nihil potestatis aut jurisdictionis

ditionis habent, gravior urget ratio in Metropolitibus intra fines Provinciae, in qua iudiciaria potestate pollent in appellationum causis, aliisque fruuntur prerogativis. Atque ita iudicatum vidimus in favorem D. Ludovici Bretelli Aquifextiensis Archiepiscopi, contra suffraganeum Aptensem Episcopum.



CAPUT VIII.

De officio Et potestate Episcoporum, Et eorum jure dispensandi circa vota.

I.  UADAM de Episcoporum potestate accumulatur in cap. *Congruente*, de offic. jud. ordinar. & in cap. *Accedentibus*, de excess. Prælat. Istud in primis tenendum, aliam esse jurisdictionem contentiosam, quæ nimirum exigit processum iudicium & forensem strepitum: aliam autem voluntariam, quæ non exercetur pro tribunali, neque cum ullo juridico seu contentioso processu. Porro non valet Episcopus extra territorium seu fines Diocesis suæ contentiosam exercere jurisdictionem, nec in suos quidem subditos, can. *Episcopum*, 9. quæst. 2. At verò potest voluntaria jurisdictione uti extra Diocesium, modò illam exerceat erga subditas sibi res aut personas, non solum per gratiarum concessionem, verum etiam per sententias pœnales: potest enim in externo ipso foro extra suum territorium edicere, expedire citationem, modò trahat partes ad suum territorium, causas delegare, conferre Beneficia, absolvere à Censuris, dispensare: Geminianus in cap. fin. de election. in 6. Zerola prax. Episc. 1. p. verb. *Jurisdictione*. Et multò fortiori ratione potest subditos suos in alieno territorio à peccatis & censuris in Pœnitentiæ Sacramento absolvere.

II. Episcopus privatim potest in alieno territorio uni ac alteri sibi subdito conferre Tonsuram, sed non aliquem Ordinem, ut post Albericum docet Rebuffus tract. de nominationibus, quæst. 14. num. 49.

III. Similiter Episcopus, quin etiam ipsius quoque Vicarius Generalis potest extra diocesis fines existens conferre subjecta sibi Beneficia: Gloss. & DD. in cap. *Novis*, de offic. Legat. de Selya de benef. 3. part. quæst. 40. & 63. Rebuffus d. tractat. de nominat. quæst. 14. num. 49.

IV. Contentiosam verò jurisdictionem non potest Ordinarius exercere in alieno territorio, nisi quando impeditur illam exercere in proprio; quo casu poterit jus dicere in alieno territorio convicino, petita prius tamen

veniã ab Episcopo loci, quanvis non obtentã: Clement. 1. de foro compet. Quæ venia non est necessariò petenda circa exercendos actus jurisdictionis voluntariæ in aliena diœcesi.

V. Episcopus loci in quo admissum est crimen, potest ibidem alienum Clericum illius criminis reum judicare, cap. *Postulasti*, de foro compet. conformiter ad ipsum Jus Civile, leg. *Delegatorum*, §. *Interdicere*, D. de interdicitis & relegat. Similiter Episcopus, in cujus Diœcesi situs est fundus, aut Ecclesia litigiosa, est competens Judex litis motæ inter partes alienæ Diœcesis, cap. *Sanè si Episcopi*, de foro compet.

VI. Omnia possunt in suis Diœcesibus Episcopi, quæ neque divino juri opponuntur, neque Papa sibi reservavit: Panormitanus in cap. *Quibusdam*, de pœnis, Joan. Andr. in cap. *Licet Canon*, de election. in 6. in vers. *Carere*: & colligitur ex cap. *Nuper*, de sent. excomm. ubi dicitur: *Quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem specialiter non reinuit sibi, eo ipso videtur concessisse aliis facultatem relaxandi.*

VII. Episcopalis tum officii, tum potestatis pars præcipua in visitatione Diœcesis posita est, ad explorandos & reparandos occurrentes in rebus & in personis defectus, ad continendos in Officio Clericos, ad extirpanda scandala, atque ad ordinanda quæcunque ad Ecclesiæ cultum & Fidelium ædificationem pertinent. Hæc verò constituit Carolus IX. in Comitibus Aurelianensibus, cap. 11. *Omnes* (inquit) *Canonici & Capitula Ecclesiarum, sive Cathedralium, sive Collegiatarum, indifferenter subjecta erunt Episcopo Diœcesis, adeò ut nullius privilegii prætextu possint se eximere visitationi, aut correctioni, ac pœnis criminum ab Episcopo infligendis.* Id confirmatur Decreto Tridentinæ Synodi sess. 6. cap. 4. de reform. *Capitula* (inquit) *Cathedralium & aliarum Ecclesiarum, illarumque personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quominus à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatibus, per seipsos solos, vel illis quibus sibi videtur adjunctis, & juxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi & emendari etiam autoritate Apostolica possint & valeant.* Sacris Canonibus Episcopi astringuntur ad visitandam quotannis, si providè fieri possit, universam diœcesim; aut si majoris sit amplitudinis, singulis saltem bienniis. Et si nequeat Episcopus hoc totum per se exequi, tenebitur saltem hoc officium idoneis & probatissimis Clericis committere. Can. *Decernimus*, can. *Episcopum*, can. *Placuit*, 10. quæst. 1. & Concil. Trident. sess. 24. cap. 3. de reform. His conformatur Blesensium Comitiorum articulus 2. Quid verò possit, vel non possit Episcopus in Visitatione circa exemptorum Ecclesias, exponemus infra cap. 11. hujusce libri.

VIII. Beneficiorum collatio ita Episcoporum propria est, ut nec ad eam jus habeat Vicarius Generalis sine speciali ab Episcopo commissione, cap. *fin.* de offic. Vicar. in 6. Nemini verò potest ulla Præbenda seu Beneficium

cium conferri nondum Clerico, cap. 2. de institut. Sicut nec stipendium, nec militares Praefecturas illis attribui Leges permittunt, qui militia non sunt ascripti, l. *Fortissimi*, Cod. de erogat. milit. annon. lib. 12.

IX. Sine proprii Episcopi Dimissoriis nemo potest Ecclesiasticis Ordinibus, imò neque Tonsurâ Clericali initiari, secundum vulgarissimos Canones. Quisquis verò à Papa Privilegium obtinuit recipiendi Ordines à quocunque Episcopo, hic non est ordinandus, nisi loco Dimissoria- rum Literarum producat proprii Episcopi Literas de vita & moribus testi- moniales.

X. Synodum Dioecesanam quotannis convocare, Episcoporum potesta- tis simul & officii est, ex praescripto Concilii Tarraconensis can. 8. & Tri- dentini sess. 24. cap. 2. de reform. In hujusmodi autem Synodis possunt Episcopi ex justa & urgente causa Missarum celebrandarum onera, etiam ex defunctorum fundatione constituta, moderari & reducere. Quemad- modum possunt pariter Regularium Ordinum Generales in suis Capitulis generalibus Missas, quibus eorum Monasteria fundationis lege alstricta sunt, ex rationabili causa reducere permissu Concilii Tridentini sess. 25. cap. 4. Verùm edidit Sacra Congregatio posterius Decretum anni 1625. ab Urbano VIII. confirmatum, prohibens Episcopis & Ordinum Gene- ralibus reductiones Missarum.

XI. Item dispensandi jus & potestas spectat ad Episcopos circa quaf- cumque censuras & irregularitates ex occulto delicto provenientes, solis exceptis illis, quae ex homicidio voluntario procedunt, aut ex delictis ad forum contentiosum deductis. De hac potestate fusius disseremus infra, ubi materiam Irregularitatum ex professio tractabimus.

XII. Possunt pariter Episcopi circa Matrimoniorum impedimenta non dirimentia dispensare, excepto simplici Religionis aut perpetuae Castitatis voto. Ita Sanctus Antoninus, Paludanus, Navarra, aliique communiter. Quin etiam potest quandoque Episcopus relaxare aliqua dirimentia impe- dimenta, cum his tamen restrictionibus & moderamine: Primùm, ut va- leat ista dispensatio circa solum interius seu conscientiae forum. Secundò, ut bonâ fide & ex ignorantia impedimenti contractum fuerit Matrimo- nium. Tertio, ut impedimentum sit occultum, nuptiae verò palam con- tractae. Quarto, ut Papa sive Legatus adiri non possit ob conjugum pau- pertatem, rusticitatem, aut infirmitatem; aut etiam quia absque evidenti mortalis peccati periculo differri vel expectari nequeat Romanae Sedis dis- pensatio. Ita Sanchez, Azorius, Coninch, Bonacina, aliique communiter Summistae. Potest quoque Episcopus hanc alii potestatem delegare, ex eorundem Authorum mente.

XIII. Dispensandi insuper in votis potestatem habent Episcopi, sive omninò ea relaxando, sive in alia quaedam bona opera commutando, etiam vota ipsa, vel juramenta promissoria, dummodo justa causa subsit,

D 3 solis

folis exceptis solennibus, sive in Sacra Ordinatione, sive in Regulari Professione emissis, & quinque simplicibus votis, scilicet continentiae perpetuae, professionis religiosae promissae, & trium peregrinationum, Jerosolymitanæ, Romanæ ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & Compustellanæ ad Sanctum Jacobum, quæ sibi Papa reservat.

XIV. Imò etiam hoc receptum est & in confessio apud Doctores, ut quando castitatis votum non est absolutum, sed ad aliquam circumstantiam restrictum, possit in eo quoque ex rationabili & justa causa Episcopus dispensare, ut si votum sit ad tempus, & non perpetuum, aut si non sit præcipue intentum, sed in alia re præcipue intenta inclusum, cuiusmodi est si quis vovit Sacrum Ordinem suscipere, cui utique annectitur perpetuæ continentiae votum; si quis promittit non inire Matrimonium, quo voto castitas omnimoda non continetur, potest in his per Episcopum dispensari. Is quoque qui vovit arctiorem ingredi, verbi causâ, Cartusianorum Religionem, potest ab Episcopo dispensari ad mitiorem Religionem, cum in eo subsistat adhuc ad Religionem obligatio, nec veretur illa Episcopalis dispensatio nisi circa unam aliquam Religionis circumstantiam. Hoc docent Sylvester verb. *Votum* 4. num. 3. §. *Sextum*, Sanchez in Opere Morali, lib. 4. cap. 40. num. 74. Lessius lib. 2. de justit. cap. 40. dub. 18. quæst. 8. Azorius 1. part. lib. 11. cap. 18. quæst. 8. Bonacina in 2. Decalogi præcept. disput. 4. quæst. 2. punct. 7. §. 4. num. 21. & Navarra cap. 12. num. 76. Præterea quisquis sub aliqua conditione voto se astrinxit in materia Papali dispensationi reservata, potest Episcopi dispensatione relaxari, modo nondum sit impleta conditio: ut si filius aut filia perpetuam voverit continentiam, si pater ex bello vel captivitate redeat incolumis; aut si quis voverit Jerosolymam proficisci, si rem amissam recuperaverit. Ratioque Summistarum communis est, quia absoluta, & discrete concepta vota esse convenit, ut Papæ reservata censeantur; & quia ita necesse esse compertum est ob gravia animarum pericula, quibus se quamplurimos implicare videmus ex nimia facilitate & præcipiti fervore se votis astringendi. At verò si voti conditio jam sit adimpleta, non alia superest liberationis via præter recursum ad Papam in aliquo ex quinque præfatis votis. Insuper si votum circa reservatam materiam non sit principale, sed accessorium, consentiunt unanimes Doctores subesse quoque dispensationi Episcopali: ut si quis voverit nunquam aleam ludere sub pena & obligatione ingrediendi Religionem; ibi enim non erit ei necessarius ad Papam recursum, poteritque per Episcopum relaxari à Religionis ingressu, & ab illo nexu non ludendi aleam, qui voto productus fuit, tamen si alia obligatione adhuc subsistente ei foret alea prohibita: potest enim ex duobus vinculis unum solvi, altero remanente, adeo ut sequens transgressio non producat duplex, sed unum dumtaxat peccatum. Illa quoque valde notabilis est decisio S. Antonini p. 3. tit. 11. cap. 2. §. 9. his ipsius verbis:

Hoc

Hoc autem videtur, quod si quis in laxiori voverat arctiorem Religionem, quod Episcopus possit dispensare; quia non est votum perpetue continentia, nec votum Religionis simpliciter, cum jam sit obligatus ad utrumque, sed solum est subrogatio voti: unde videtur, quod Episcopus possit dispensare. Et similiter in voto simplici arctioris Religionis liceret in laxiorem transire (scilicet per Episcopi dispensationem) non autem liceret in seculo remanere. Hæc Sanctus Antoninus Episcopus simul & Regularis.

XV. Item potest Episcopus dispensare ubi dubitatur utrum votum reservationis Papalis fuerit obligatorium, ut si res in ambiguo sit, utrum sufficiens intervenerit deliberatio circa votum quod quis se emisisse certus est. In dubiis quippe benigniori parti favendum: & ipsa quæ Summo Pontifici reservantur vota, debent esse indubitata. Sanè si quis dubitaret an votum emisisset, non opus habet ulla dispensatione. In his enim dubiis quæ respiciunt substantiam voti, & non circumstantiam, ut est, an sufficiens deliberatio extiterit, seu an votum ipsum quoad substantiam emissum fuerit, non adimitur, sed servatur incolumis pristina libertas. In præfatis omnes ferè Doctores conveniunt, agnoscentes quantum expediat animarum salutem easdem laqueis extricare, quibus se facilè & plerumque ipso diabolo sub specie boni sollicitante implicant, eaque occasione superadditis reservationum difficultatibus novis se contraventionum facilegarum laqueis involvunt, à quibus ex fragilitate humana vix possunt expediri.

XVI. Notandum porrò est, siquando dispensaverit Episcopus circa votum Pontifici Summo reservatum, non quidem ob conditiones voti non absoluti, aut indirectè concepti, aut conditionati, aut ambigui, aliisve similibus circumstantiis affecti (quibus casibus absoluta, & perpetuæ validitatis indulgetur ab Episcopis dispensatio) sed tantum in aliis casibus ob solam rationem gravis & imminentis periculi offensæ Dei, aut scandali quod sequuturum timetur ex dispensationis Papalis dilatione; hoc solo casu notandum est dispensationem, quam interea indulget Episcopus, non perimere, sed solum suspendere voti obligationem. Idcirco ille qui absolutum perpetuæ castitatis votum transgressus fuit, dum se matrimonio alligavit, poterit subinde ab Episcopo dispensari circa debitum conjugale: sed tamen soluto per conjugis mortem matrimonio, tenebitur pristino voto, quoad Papa cum illo non dispensaverit.

XVII. Quæritur, an possit Episcopus dispensare super voto in alicujus Tertii gratiam emissio, ut si quis voverit eleemosynam dare tali pauperi, vel Ecclesie, vel piæ domui? Distingui à Doctoribus solet inter votum acceptatum, & non acceptatum. Si acceptatum sit, non licebit dispensare hac ratione, quia Tertius aliquis privaretur jure suo quod habet in re per acceptationem ac legitimam stipulationem; sic enim ei fieret injuria. Sed si promissio illa votiiva non fuit acceptata, sive ab eo cujus interest,

terest, sive ab alia persona ejus vice ac nomine, tunc si rationabilis causa interveniat, poterit peti, & concedi ab Episcopo dispensatio.

XVIII. Uterius quaeritur, an si ejusmodi votum in alterius gratiam emissum Confessarius exceperit, censeatur acceptasse nomine personae vel loci per votum designati? Probabilis est ista Bonacinae responsio, censeferi Confessarium acceptasse nomine Dei, cujus in confessionibus vicem gerit; non autem privato nomine loci vel personae, quibus praecise consulere ac providere non astringitur ex suo officio; ac proinde illius acceptatio non parit novum jus in favorem Tertii. Bonacina tom. 2. disput. 4. quaest. 2. punct. 7. §. 4. num. 25.

XIX. Praeterea quaeritur, an requiratur dispensatio, ut quis solvatur voto quod se dubitat emisisse? Respondendum non requiri, quia nulla subest obligatio. In dubiis enim juxta regulam juris, melior est conditio possidentis; & nemo in re dubia privandus est sibi connaturali & ingentia libertate, etiamsi (ut Lessius docet lib. 2. de justitia, cap. 40. dub. 17. num. 113.) tale sit dubium, ut quanvis homo probabiliter opinetur non extare talem obligationis causam, magis tamen inclinatur ad opinandum extare causam obligationis; quia ad tollendam libertatem nulla sufficit probabilitas, sed requiritur absoluta certitudo.

XX. In summa, competit solis Ecclesiae Praelatis jurisdictionem externi fori habentibus, illa sive relaxandi, sive commutandi voti potestas. Et cum sit ista dispensatio actus jurisdictionis, competit Episcopis statim atque confirmati a Sede Apostolica fuerint, quanvis necdum fuerint ordinati, quemadmodum & reliquae jurisdictionum species; solaque potestas Ordinis praerequirit consecrationem. Quin etiam jurisdictionis potestatem potest confirmatus, & nondum ordinatus Episcopus aliis delegare, ut saepenumero fieri videmus.


XXI. Differt autem a dispensatione irritatio votorum: & haec aliis competit personis quam Episcopis. Primum enim potest regularis Superior suorum Religiosorum vota quavis irritare, excepto voto arctioris Religionis subeunda. Et disertè dicit S. Thomas 2. 2. quaest. 88. art. 8. ad 3. nullum Religiosi votum esse firmum, nisi de consensu sui Superioris. Vota quoque impuberum possunt a patre vel tutore fieri irrita, ut colligunt Doctores ex can. *Mulier*, 31. quaest. 2. & ex cap. 1. de Regular. in 6. Puberum tamen vota ut in irritum revocentur, etiam ab ipsorum patre, necesse est, ut ordini familiae, vel patriae potestati obstant, ut sunt jejuniorum, aut peregrinationum, aut similia vota. Conjuges etiam possunt alter alterius vota irrita facere, quae juri alterius incommodant, aut statui vel administrationi familiae; quanvis plus juris marito in uxoris vota tribuere videatur S. Thomas loco cit. dum ait, nullum uxoris votum esse firmum, nisi sit de consensu viri. Et fundari videtur jus illud majus in eo, quod juxta Apostolum Ephes. 5. vir caput est mulieris, & non mulier viri. Verumtamen

rumtamen non omnis subiectio secum infert illimitatam omnia vota invalida faciendi potestatem. Si verò opponas Numerorum caput 30. quo patri & marito tribuitur potestas quæcumque vota filia & uxoris irrita per suam contradictionem faciendi: Responso in promptu est, legem illam esse ceremoniam, & ad solam pertinere Synagogam. Et verò compertum est, non competere patri ad eò illimitatam in Ecclesia Christi potestatem circa vota filia, qualis illo capite sancitur. Stet igitur eadem in perimendis filiorum & conjugum votis posita superius limitatio, nimirum si ordinem familiae, aut patriæ, vel tutoriæ, vel conjugalis juris, aut potestatis perturbent. Ad postremum Abbatissæ possunt quidem Monialium suorum vota in irritum adducere, si quomodocumque regimini monastico, aut communi familiae ordini, aut Monialis valetudini, aut debita sibi subiectioni officiant: sed non possunt dispensatione relaxare, quia iurisdictione carent.



C A P U T IX.

Prosequutio potestatis Episcoporum.

I.  OTEST Episcopus familiarem suum, quanvis non subditum, si secum triennio commoratus fuerit, ordinare, dummodò statim Beneficium illi conferat. Concilium Trident. sess. 23. cap. 9. de reform. * Nisi sic ordinatus patrimonium sufficiens habeat; tunc enim cessante ratione legis, cessat illa Episcopi obligatio.]

II. Potest præterea diebus Dominicis, aut festis per annum minores suis subditis, aut habentibus dimissorias, Ordines conferre, necnon Tonsuram uni, vel duobus extra tempora juniorum, can. *De eo autem*, de tempor. ordinat. Quinimodò primà Tonsurà initiare potest quocumque anni die illum qui mox suscepturus est Ecclesiasticum Beneficium, ut docent Ostiensis, Grassius, Bonacina, aliique asserentes id passim esse consuetudine indubitata receptum.

III. Episcopus concedere potest unius anni Indulgentiam in die Dedicationis Ecclesiæ. At in anniversario Dedicationis, & aliis quibuscumque occasionibus potest Indulgentiam concedere dierum quadraginta, can. *Cum ex eo*, de poenit. & remiss. ex Concilio Lateranensi generali sub Innocentio III. Exinde constat, Indulgentiarum concessionem non esse actum ordinis, sed tantum jurisdictionis; eo quòd potestas ordinis, cum immediatè ab ipso Deo conferatur, non possit ab Ecclesia, vel à Pontifice

E limitari

limitari, atque ita Concilium non potuisset terminum Indulgentiis Episcopalis præfigere. Exinde sequitur, posse Episcopum electum & confirmatum Indulgentias concedere, licet nondum sit consecratus; quia jam est assequutus potestatem jurisdictionis, sed nondum ordinis, ut docet S. Thomas in 4. dist. 20. quest. 3. art. 3. Simili ratione Papa statim post sui canonicam electionem, quanvis nondum consecratus, imò necdum Episcopus, si ita contingeret eligi, potest Indulgentias per universum orbem concedere, ut ait Azorius p. 2. lib. 3. cap. 55.

IV. Potestatem habet Episcopus jura pecuniaria Canonibus Sacris constituta à subditis sibi Ecclesiis exigendi, exceptis Monasteriis quæ non habent Parochiales Ecclesias, secus verò si habent, ut sequenti capite videbimus. Hæc jura sic referuntur in cap. *Conquerente*, de offic. jud. ordin. *Episcopus in Ecclesiis sua diocesis habet jus Synodi, & synodatici, seu cathedralici nomine duos solidos: quartam decimarum, & mortuorum: visitationem quoque annuam, & moderatum charitatis auxilium, juxta Lateranense Concilium.* Hoc autem Lateranense decretum habetur in cap. *Cum Apostolus*, de censib. Huc spectant etiam Bracarensis Concilii secundi canon 2. & Toletani septimi canon 4. & Cabilonensis secundi sub Carolo Magno canon 17. De cathedralici jure, seu de Episcoporum portione canonica; de quarta etiam decimarum, & de charitativo subsidio fusiùs tractant Azorius p. 2. lib. 3. cap. 12. & 14. & Barbosa de officio & potestate Episc. p. 3. alleg. 86. & 87.

V. Communi & ordinario Episcoporum juri superadditus est titulus Legatorum Apostolicorum, non tam ad extendendam eorum potestatem, quam ad intendendam seu roborandam: pleraque enim jure ordinario poterant, quibus superadditus est titulus Apostolicæ delegationis; qui titulus non officit eorum juri ordinario, sed operatur ut faciliùs, & cum debita veneratione illis obtemperetur; præsertim ex eorum parte qui prætenderent ipsorum ordinariam potestatem minuere, aut in controversiam revocare, aut ab ea se subtrahere. Unde istud quoque accuratè observandum est, quod licet à judicis delegati sententia vel processu appelletur, non ad Metropolitanam, sed ad Papam delegantem, ejuùsve Legatum, cap. *Super questionum*, §. *Porro*, de offic. jud. deleg. & cap. *Si delegatus*, & cap. *Is cui*, & cap. *Si à delegato*, eod. tit. in 6. & secundum Jus quoque Civile l. 1. in princ. & l. 3. D. quis & à quo appell. Tamen quia ea quæ Episcopi faciunt quasi Legati Apostolici ex jure communi, quod eis attribuit hanc qualitatem & titulum, non verò ex speciali aliqua per Papam delegatione, id faciunt jure communi & ordinario; idè interjecta ab eis appellatio devolvitur non ad Papam immediatè, sed ad Metropolitanum, ut docet Ostiensis in Summa, tit. de offic. Ordin. §. *Sunt autem quedam*. Ubi & hoc dicit, quod quando alicui committitur Episcopo id quod pertinebat ad ipsum jure ordinario, id fit ut magis timeatur. Et Zerola his suffragatur

tit. 2. part. Praxis Episcop. verb. *Visitato*: idque confirmat declaratione, quam refert, Sacrae Congregationis, ut ab ejusmodi, quae Episcopi ordinant ex jure communi, tanquam Apostolici Delegati, devolvatur appellatio ad Archiepiscopum.

VI. Hac ergo supposita protestatione, ne praedictetur ordinariae potestati, possunt Episcopi tanquam Sedis Apostolicae Delegati ordinarii & perpetui praedicationem interdicere, etiam exemptis Clericis aut Regularibus errores praedicantibus, vel turbas, aut scandala in populo excitantibus, ut nec in suorum Monasteriorum Ecclesiis, nec alibi ulterius praedicent. Immo si haereses praedicent, possunt contra eos Episcopi secundum severitatem Juris procedere. Concilium Trident. sess. 4. cap. 2. de reform. & sess. 6. cap. 3. & sess. 14. cap. 4.

VII. Ubi Beneficia Curata olim, conversa fuerunt in Simplicia per assignationem novi & perpetui Vicarii, etiam a tempore immemorabili, si Vicario non suppetit congrua ad victum decentem portio, nec illa aliter suppleri commode potest, Ordinarius poterit, cum primum per cessum, vel decessum, sive Rectoris ac Prioris, sive Vicarii, altera ex his duabus praebendis vacaverit, totum Beneficium ad Curam transferrere animarum, & in antiquum statum restituere, suppressa Vicaria. Concilium Trident. sess. 25. cap. 16.

VIII. Uniones perpetuae ab annis quadraginta, aetiam Apostolica autoritate factae, possunt ab Episcopis tanquam Apostolicae Sedis Delegatis examinari, & quae per subreptionem obtentae fuerint, irritae fieri ac declarari. Concil. Trident. sess. 7. cap. 6. & sess. 25. cap. 9. de reform.

IX. Insuper Episcopi ut Apostolicae Sedis Delegati possunt, sine praedictio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcunque Parochialium Ecclesiarum, & aliorum Beneficiorum, sive Curatorum, sive Simplicium cum Curatis Beneficiis, ob Ecclesiarum paupertatem, aliasve iustas causas, licet dictae Ecclesiae vel Beneficia essent generaliter, aut specialiter reservata, cap. *Sicut unire*, de excess. Praelat. & Concil. Trident. sessione 21. cap. 5. Idem confirmant Gallicanae Constitutiones Constitutorum Aurelianensium artic. 16. & Blesensium artic. 22. & Edictum Melodunense anni 1580. art. 27. & Edictum Henrici IV. anni 1606. artic. 18. Iustae causa in supradictis unionibus debent esse probatae per juridicam inquisitionem, citatis & auditis partibus, aliisque quorum interest. Rebuffus in praxi, 1. part. tractat. de unionib. benefic. num. 42. & 43. Praebendas unire possunt Episcopi in favorem Cathedralium Ecclesiarum, aut insignium Collegatarum, quarum redditus sustinendo decenti Canoniceorum gradui, Divinisque Officiis & cultui minime sufficiunt. Concil. Trident. sess. 24. cap. 13. & 15. dum tamen serventur illic expressae conditiones. Id confirmatur Blesensium Constitutorum art. 23. Patronorum tamen laicorum consensus requiritur circa unienda Beneficia nominationi eorum

subjecta, juxta d. Trident. sess. 24. cap. 15. & d. art. Blesensem 23. Quibus iisdem locis permittitur quoque Episcopo reducere Præbendas Ecclesiæ Cathedralis aut Collegiatae ad minorem numerum, ut hac reductione suppleatur modicitati ac insufficientiæ proventuum aut distributionum congruarum: dummodò facta reductione numerus Canonicorum superfit Divino Officio celebrando, atque illius Ecclesiæ dignitati sufficiens.

X. Jus habent Episcopi ut Sedis Apostolicæ Delegati, in omnibus Baptismalibus & Parochialibus Ecclesiis, ubi unus Rector sufficere nequit Sacramentis ministrandis, & Divinis Officiis, Rectores cogendi, aliosve ad quos pertinet, ut tot adjungant Clericos ministros aut Sacerdotes, quot sufficiant his obeundis. Ubi verò parochiani propter nimiam distantiam citra gravia incommoda ad Ecclesiam accedere non possunt, Parochias novas, etiam Rectoribus invitatis, erigere possunt Episcopi, novisque Clericis congruam assignare portionem ex fructibus ad matricem Ecclesiam pertinentibus. Possunt insuper (si necesse sit) populum compellere ad sufficienter subministrandum unde Clerici vitam sustentent. Concilium Trident. sess. 21. cap. 4. & in Decretalibus cap. *Ad audientiam*, & cap. *fin. de Eccles. ædific.* Sane ubi non subest rationabilis causa, Canonibus vetantur Beneficiorum divisiones, cap. *Majoribus*, cap. *Vacante*, & cap. *Cum causam*, de præbend.

XI. Pari potestate pollent Episcopi ut Apostolici Delegati, illiteratis & imperitis Ecclesiarum Rectoribus deputandi pro tempore Vicarios & Coadjutores, partemque fructuum eis assignandi, aliterve providendi ad sufficientem victum, remota omni appellatione vel exemptione. Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. & sess. 25. cap. 14. & in Decreto can. *Quicumque*, 26. quæst. 5. & can. *Inventam*, 16. quæst. 7. & Clem. *Multorum*, de pœnis. Idque pro Gallia Regno sancitur per Concordatum Bononiense approbatum in ultima Lateranensi Synodo.

XII. Episcopis ut Sedis Apostolicæ Delegatis, Beneficia simplicia transferre licitum est, etiam si jus patronatus existant, ex collapsis vetustate Ecclesiis, si ob earum inopiam nequeant instaurari (illis tamen quorum interest vocatis) in Matrices, aut in alias convicinas Ecclesias. Quin & ipsas Parochiales Ecclesias, si collapsæ nulla contributione, vel alia ratione instaurari possint, ad Matrices, aut viciniores Ecclesias transferre possunt, erectâ in loco ubi collapsæ sunt, Capellâ vel Altari sub invocationibus iisdem. Concil. Trident. sess. 21. cap. 7.

XIII. Eò quoque extenditur potestas Episcopi tanquam Apostolici Delegati, ut certam fructuum portionem ex Beneficiis omnibus Cathedralis Ecclesiæ, vel Collegiatae deducere queat in quotidianas chori distributiones, ubi nullæ sunt, aut adeò tennes, ut pariter cum Divino Officio negligantur. Concil. Trident. sess. 21. cap. 3. & sess. 22. cap. 3.

XIV. Hoc eodem Apostolici Delegati titulo potest quilibet Episcopus

executionem curare & jubere piarum omnium dispositionum, tam in ultimis voluntatibus, quam inter vivos: & jus habet visitandi Hospitalia, Collegia, Confraternitates, & Scholas (non eas tamen quæ sub immediata Regum protectione sunt, nisi de eorum consensu;) Montes quoque pietatis, piæque alia loca, quanvis horum cura ad laicos pertineret, aut exemptionis privilegio munita essent. Atque in istis omnibus possunt Episcopi ordinare, cognoscere, & exequi juxta Canonum præscripta, nihil obstante contraria Consuetudine, Statutis, & Privilegiis. Concilium Tridentinum sess. 22. cap. 8. & Clementina *Quia contingit*, de religiof. domib. His consonat Jus civile leg. 45. de Episcop. & Cleric. & Orphanotr. & Xenodoch. His suffragantur Franciæ Regum Edicta, quæ requirito inferiùs lib. 4. cap. 9. art. 7.

XV. Quod superiùs dixi de potestate Episcopali providendi Coadjutorem, cum assignatione portionis ad victum, ubi Rector Ecclesiæ per imperitiam non potest munus officiumque suum obire, idem extendendum generaliter ad omnem, tam corporis, quam animi defectum ac infirmitatem, ob quam Beneficiarius quivis, cui animarum cura incumbit, non potest suo munere defungi. Concilium Trident. sess. 21. cap. 6. & toto tit. de Cler. ægrot. vel debil. Eriamfi contingeret talis Beneficii collationem ad Episcopum non nisi conjunctim cum Capitulo pertinere. Cujus ratio est, quia cum provisio Coadjutoris diminuat liberam præbendati administrationem, necnon fructuum antea illi debitorum perceptionem, necesse est ab eo solo ordinari diminutionem istam jurium, cui causæ cognitio & jurisdictio competit: at Capitulo non competit jurisdictio, vivente Episcopo.

XVI. Sanè nullatenus potest Episcopus Coadjutorem constituere cum spe aut jure futuræ successions, sed solus Papa: quandoquidem jure communi damnantur pollicitationes & provisiones, quæ votum inducunt alienæ captandæ mortis, can. *Petisti*, 7. quæst. 1. & ex Concilio Lateranensi cap. *Nulla*, de concess. præbend. Hoc itaque reservatur Papæ, qui potest adversus jus commune dispensare. Quinimò in Regno Franciæ circa Bralaturas & Dignitates, quæ sunt Regiæ Nominationis, non providet Papa de Coadjutore cum certitudine futuræ successions, nisi cum Regis assensu. Hac enim in re Summus Pontifex pactionibus se astringit, quas violari jus gentium non permittit.



CAPUT X.

De potestate Episcopi erga personas exemptas,
aut loca.

I. **I**STA observanda distinctio est inter loca exempta, & loca nullius Diocesis: multò enim magis subtrahuntur Ordinariorum potestati nullius Diocesis loca, quàm exempta loca: & amborum discrimen in hoc versatur, quod exempta loca in Diocesi censentur; at loca nullius Diocesis, quantumvis reipsa intra limites Diocesis sita sint, Juris tamen existimatione censentur prorsus à Diocesis finibus distita & remota. Jus itaque dum meminit exemptarum Ecclesiarum, eas tamen perhibet sitas intra diocesim: sic enim dicit caput *Grave*, de offic. Ordinar. *In tua diocesi existentes*, loquendo de exemptis: & cap. *Cum Episcopus*, eod. tit. in 6. ait: *In qualibet parte sue Diocesis, dummodo in loco non exempto*. Hoc igitur tenendum est, constitui locum nullius Diocesis, non per simplicem exemptionem à jurisdictione Diocesani, sed etiam per divulsionem ac separationem territorii, quæ vulgari sermone dicitur *Démembrement*. Paulò post annum Christi quadringentesimum, Concilium Arelatense tertium sub Ravennio Præsede, subortum inter Theodorum Episcopum & Faustum Abbatem Lerinensem dissidium his conditionibus composuit: Ut Monachi Clerici à nullo nisi à Theodoro Episcopo, vel ejus successore, vel cui Theodorus vel ejus successor injunxerit, ordinentur: Ut chrisma non nisi ab eodem Episcopo speretur: Ut neophyti non nisi ab eodem confirmentur: Ut peregrini Clerici absque ipsius præcepto in communionem, vel ad ministerium non admittantur: Laica verò omnis multitudo Monasterii ad solam & liberam Abbatis proprii, quem sibi elegerit, dispositionem pertineat, Regulà, quæ à Fundatore ipsius Monasterii dudum constituta est, in omnibus custoditã. Quod autem ad Abbatissam & Moniales attinet, Sanctus Gregorius Magnus intendens privilegium, ut ipse ait, indulgere Sanctimoniarum Monasterio Massiliensi, quod dicit in honorem Sancti Cassiani consecratum, libro 6. epist. 12. ad Respectam Abbatissam, statuit ut statim post obitum Abbatissæ nova eligatur à Monialibus Abbatissã, quæ mox, si Episcopus dignam judicet, ordinanda erit ab Episcopo: qui tamen jus non habebit disponendi de Monasterio, sed ipsa Abbatissã. Neque habebit jus celebrandi solenniter Missam apud Moniales, nisi die Natalis vel Dedicationis Monasterii. Cæteris verò diebus Missarum officia per Presbyterum

Presbyterum, qui fuerit ab Episcopo deputatus, peragantur. Ipse verò Episcopus sollicitudinem geret circa vitam & mores, tum Abbatissæ, tum Monialium: earumque culpas pœnis canonicis coercet. Hactenus sanctiss. Papa. At verò cur non nisi semel in anno, die scilicet anniversario Dedicationis Monasterii, permitteretur Episcopo Missæ solennis apud Moniales celebratio, causa esse videtur, quia Monialium secessui, silentio & quieti plurimum incommodabat accessus ille, tum Clericorum solenni Missæ ministrantium, tum etiam famulorum, qui erant in Episcopi comitatu. Illis quippe temporibus Capellæ Monialium, in quibus istæ sacrum audiebant, erant intra Monasteriorum penetralia; nec ad Capellam erat aditus nisi Monastriis, & Sacerdoti cum Clerico subministrante, cæteris exclusis, ut constat ex Concilio Turonensi tertio, can. 29. & ex Cabilonensi secundo, can. 16. & ex Arelatensi sexto, can. 7. & demùm ex Aquilgranensi sub regno Ludovici Pii, part. 2. can. 27.

II. Porro Ecclesiæ simpliciter exemptæ, vel Sæculares sunt, vel Regulares: si Sæculares sunt, potest illas Episcopus visitare tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex Concilio Trident. sess. 7. cap. 8. sive illis incumbat cura animarum, sive non, sess. 21. cap. 8. Sed si Ecclesiæ exemptæ sint Regulares, videndum est utrùm Curam habeant animarum, an non habeant: si Curam habent, subjiciuntur Ordinariorum visitationi, ut patet ex Trident. sess. 7. cap. 7. & 8. de reform.

III. Verumtamen si illæ Regulares simul & exemptæ Ecclesiæ, neque animarum Curam habentes, sub Commenda sunt, potest Ordinarius illas visitare tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, ex Trident. sess. 21. cap. 8. eo solo casu, quo non vigeat in eis observantia Regularis, ut ibidem exprimitur. Ejusque ratio est, quia solus Episcopus potest eis circa observantiam Regulæ providere, ac bonos mores: quandoquidem Commendatarii Superiores neque resident, neque ulla pollent jurisdictione. Regulares autem Ecclesias exemptas, quibus annexa est animarum Cura, potest Episcopus visitare, quoad omnia & sola quæ animarum Curam & Sacramentorum administrationem concernunt, ex Trident. sess. 25. cap. 11. de Regul. *Subsunt (inquit) immediatè, in iis quæ ad dictam Curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi & correctioni Episcopi, in cujus Diocesi sunt sita. Nec ibi aliqui etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejusdem consensu, ac previo examine per eum aut ejus Vicarium faciendo.* His etiam conformatur Tridentina sessio 7. cap. 7.

IV. At verò si nullius Diocesis Ecclesia sit, ea vel Regularis est, vel Sæcularis. Si sit Regularis, quanvis annexa sit ei animarum Cura, nullatenus eam potest Episcopus visitare: etenim dictum caput 11. sess. 25. de Regul. locum non habet nisi in locis simpliciter exemptis, ut ex ejus verbis liquet, *Episcopi in cujus Diocesi sita sunt: & sacra Congregatio secus judicare solet de nullius Diocesis Ecclesiis, ut attestatur Prosper Fagnanus*

Fagnanus. Sed si Ecclesia nullius Diocesis Sæculares sint, tunc dispiciendum an sint planè reipsa extra fines cujuscunque Diocesis, eoque casu Episcopus ille, cujus Cathedralis Ecclesia proximior est præfate Ecclesie, potest hanc visitare, non ut Ordinarius, sed ut Sedis Apostolicæ Legatus, ex Trident. sess. 24. cap. 9. At verò si nullius Diocesis Ecclesia includatur intra limites alicujus Diocesis, & sit Sæcularis, poterit eam Episcopus ille visitare, intra cujus Diocesim sita est; solusque poterit ejus Ecclesie subditos ordinare, & Dimissorias ad Ordines literas eis concedere, juxta Trident. sess. 23. cap. 10. ut sæpissimè interpretata est Sacra Congregatio, eodem Fagnano teste.

V. Nullus itaque Episcopus potestatem habet Regulares nullius Diocesis Ecclesias, quantumvis Curatas visitandi, ullamvè in eas jurisdictionem exercendi. Constitutio autem Gregorii XV. declarans exemptorum privilegia, eorumque limitationes aut abrogationes, neque loca, neque personas comprehendit nullius Diocesis, ut Sacra declaravit Congregatio: quod idem dicendum de Bulla Clementis X. quæ incipit: *Supernâ magni Patrisfamilias præordinatione*. Caterùm Regulares locorum nullius Diocesis agnoscere tenentur auctoritatem Episcopi, quoad Ordines suscipiendos: nec enim ad alium recurrere possunt Episcopum, sine ejus qui vicinior est venia, juxta Concilium Lateranense sub Leone X. & Tridentinum sess. 23. cap. 10. & Bullam Clementis VIII. anni 1596. apud Quarantam verb. *Ordo*. Enimverò Superiores Regulares locorum nullius Diocesis subditis sibi Regularibus Dimissorias concedentes, tenentur ex sententia Sacræ Congregationis illas ad proximiorum Episcopum dirigere, aut ad eum intra cujus Diocesis fines existunt. Hæc omnia tractat & docet Prosper Fagnanus Apostolicæ Curie Referendarius in Commentariis ad cap. *Grave*, de offic. Ordinar. Ergo multò fortiori ratione Regulares non habentes privilegium istud nullius Diocesis, non debent per remotum Episcopum ordinari, si non habent Dimissorias proprii Diocesani Episcopi.

VI. Regulares exempti in spectantibus clausuram sibi subditarum Monialium subjiciuntur Episcoporum auctoritati, tam ex dispositione veteris Juris communis, cap. *Periculoso*, de statu Regul. in 6. quàm ex præscripto Concilii Tridentini sess. 25. de Regul. cap. 5. Quibus Bulla Gregorii XV. incipiens *Inferuabili*, adjungit exemptos, tam sæculares quàm regulares, si deliquerint circa clausuram, aut circa personas intra septa degentes, vel circa bonorum Monasterii administrationem, ab Episcopo loci tanquam Apostolicæ Sedis Delegato puniri posse. Edictum etiam Caroli IX. Januarii mensis anni 1564. submittit Episcopis Monialium clausuram, ut ejus observationi provideant per censuras Ecclesiasticas, invocato, ubi opus erit, Brachii sæcularis auxilio, non obstante quacunque appellatione. Edicitque ne ulla Monialis professâ egrediatur Claustrum, néve

nève ulla persona externa ingrediatur Clausrum, nisi de licentia & approbatione Episcopi.

VII. Iltam Gregorii Bullam, quia multa edicit circa potestatem Ordinariorum erga Regulares, & ubique recepta fuit, summam exequar, quam refert integram Fagnanus in cap. *Cum capella*, num. 30. de privileg. Bulla *Inscrutabili*, simulque Bulla *Supernâ*, confirmant ea quæ Concilium Tridentinum antea statuerat de subiectione Regularium, etiam exemptorum, respectu Ordinariorum, circa Parochiales Ecclesias & functiones, & circa Confessionum personarum sæcularium auditionem, etiam Sacerdotum: item circa Monasteriorum Monialium Regularibus exemptis subiectarum clausuram, circa prædicationem verbi Dei in ipsis etiam Regularium Ecclesiis, aliaque ejusmodi. Statuit ergo Gregorius XV. ut deinceps tam Regulares, quam Sæculares quomodolibet exempti, in omnibus prædictis jurisdictioni, visitationi, permissioni, examini, correctioni Ordinariorum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatorum, subiciantur. Et si quando deliquerint circa personas intra septa Monasterii degentes, aut circa clausuram, aut circa Monialium ipsis exemptis subiectarum bonorum administrationem, possint à locorum Episcopis, quoties opus fuerit, puniri & corrigi. Et ut non possint deputari Monialium Confessores, sive Regulares, sive Sæculares, nisi postquam ab Episcopo idonei judicati & approbati fuerint. Item ut bonorum Monialium Exemptis subditarum rationes, ab eorum administratoribus & œconomis, sive Sæculares sint, sive Regulares, reddantur coram Episcopis, adjunctis, unaque assistentibus Superioribus Regularibus: & ut ad ista remediis Juris compelli possint Regulares. Utque si quum visum Episcopo fuerit, Regulares Superiores admoniti, ut prædictos Confessarios aut Administratores removeant, non paruerint, possit Episcopus illos remove quod expedire judicaverit. Item ut Episcopus unâ cum Superioribus Regularibus possit Abbatisarum aut Superiorissarum eorundem Monasteriorum electionibus per se, aut per Commissarium à se deputatum interesse & præsidere. Atque ut Episcopus auctoritatem habeat coercendi ac puniendi quoscumque Exemptos, sive Sæculares, sive Regulares, qui in alienis Ecclesiis absque ipsius Episcopi approbatione & licentia, aut in propriis suorum Ordinum Ecclesiis, non petita ipsius benedictione, aut ipso contradicente prædicare præsumpserint, aded ut in casibus supra expressis, adversus præfatas personas, Episcopis quoties opus erit, per censuras Ecclesiasticas, aliâsve pœnas procedere liceat ut Sedis Apostolicæ Delegatis: nihil obstantibus Constitutionibus Apostolicis, aut Consuetudinibus contrariis, aut Privilegiis, &c.

VIII. Gregorii XV. successores Pontifices eadem iteratò sanxerunt. Atque huc pertinet Innocentii Papæ X. Breve Apostolicum, in causa Palafoxii Episcopi Angelopolitani, & Regularium Jesuitarum Provinciæ Mexicanæ.

Mexicana. Innocentius Papa X. ad futuram rei memoriam. Alias à nobis emanarunt literæ, &c. Nos totum negotium Congregationi Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium examinandum commisimus, qui auditis, &c. responderunt prout sequitur. Sacra Congregatio à S. D. N. deputata super controversis vertentibus inter Episcopum Angelorum in Indiis Occidentalibus, & Religiosos Societatis JESU, sæpius auditis procuratoribus Episcopi, necnon ipsius Societatis, censuit prædictos Religiosos nequaquam posse in civitate Angelopolitana Confessiones Secularium audire sine approbatione Episcopi Diocesani: nec verbum Dei prædicare in Ecclesiis sui Ordinis, non petita ipsius benedictione, nec in aliis Ecclesiis sine ejus licentia, nec in Ecclesiis etiam sui Ordinis, ipso contradicente: & contravenientes ab Episcopo tanquam Sedis Apostolica Delegato coerceri & puniri posse etiam censuris Ecclesiasticis, in vim Constitutionis sanctæ memoriæ Gregorij XV. quæ Incipit, Inscrutabili Dei providentiâ, &c. Proinde memoratis Religiosis, qui ejusmodi licentiam ac approbationem se obtinuisse non docuerint, potuisse Episcopum seu Vicarium ejus generalem præcipere sub pœna excommunicationis lata sententiæ, ut à Confessionibus audiendis & prædicatione verbi Dei abstinere: nec eam ob causam licuisse dictis Religiosis quasi à manifestis injuriis & violentiis eligere Conservatores, &c. Ad quæsitum verò, utrum Regulares quicumque, etiam Societatis JESU, possint administrare Secularibus Sacramentum Penitentia absque licentia Episcopi Diocesani, etiam si ipsi Regulares in aliena Diœcesi approbati sint? Respondit Sacra Congregatio, Regulares etiam Societatis JESU in una Diœcesi ab Episcopo approbato ad Confessiones Secularium audiendas, nequaquam posse in alia Diœcesi ejusmodi confessiones audire sine approbatione Episcopi Diocesani. Istud deinde Sacra Congregationis judicium Summus Pontifex confirmavit Apostolico Brevis, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 14. Maii, anno 1648. Pontificatus anno 4. Quod idem Breve suum idem Innocentius, ad compescendam subortam tergiverfationem, confirmavit altero Brevis, die 27. Maii, ann. 1653. Præterea Innocentii prædecessor Urbanus VIII. ita decernit in suo Brevis, die 30. Augusti 1629. Regulares à prædecessoribus Episcopis examinati & approbati ad Confessiones Secularium audiendas, à præsentè Episcopo successore pro majori conscientia suæ quiete possunt iterum examinari, & si minus idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum Constitutionis sanctæ memoriæ Pii V. hac de re editæ. Illa verò Pii V. constitutio anni 1571. mense Augusti, incipit Romani Pontificis, de qua vide infra cap. sequenti, num. 3.

IX. Similiter Alexander Papa VII. aliud Breve direxit ad Episcopum Andegavensem, circa propositionem istam quorundam ejus Diœcesis Regularium: Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad Confessiones audiendas in sua Diœcesi, habentur pro approbatis in aliis Diœcesibus, nec nova Episcoporum indigent approbatione. Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiam si

etiãsi ab Episcopo ipso authoritas illa ipsis indulta non fuerit. Hac examinata propositione Breve Apostolicum ita respondit: *Propositio quoad primam partem est falsa, & saluti animarum pernicioſa. Quoad secundam partem est falsa, authoritati Episcoporum & Sedi Apostolica injurioſa. Hanc qualificationem & declarationem à cunctis tenendam, sequendam, & in praxi observandam Sanctitas sua declaravit, & mandavit sub pœnis contra schismaticos, temerarios, seditiosos, ac de hæresi suspectos impostis, contrariis quibuscunque non obstantibus. Datum Roma apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 26. Februarii 1659. Pontificatus nostri anno 4. Signatum F. Florentinus. Joan. Lupus Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis Notarius. Loco ꝛ sigilli.*

X. His tam perspicuis & sæpiùs iteratis Supremæ Sedis declarationibus nulla potest bona fides tergiversari, ut mirum sit fuisse illas dissimulatas à Joan. Bapt. Goneto Ordinis Dominicani Theologo Gallicano, qui in Tractatu de Pœnitentia, disp. 9. circa finem, facta solius Concilii mentione Tridentini, dicit probabilius esse, ad audiendas Secularium Confessiones non sufficere Regularibus approbationem petitam ab Episcopo, & ab illo injustè negatam: sed tamen oppositam sententiam, minùs quidem probabilem, non carere probabilitate. Cæterùm cùm idem ipse Clypei sui Theologici tom. 3. dissertatione de opinionum probabilitate, art. 2. §. 2. ex verissima Sancti Thomæ doctrina probet & asserat, non esse licitum sequi minùs probabilem opinionem relicta probabiliore, intendit necessariò teneri Regulares hanc sequi sententiam, quam dicit probabiliorem. Opposita verò opinio, ut probamus, nulla omninò probabilitate fulcitur.

XI. His omnibus successit Bulla Clementis X. anni 1670. sic incipiens, *Supernâ magni Patrisfamilias præordinatione*, perspicuè declarans & decernens, primò quoad verbi Dei prædicationem: *Regulares qui in Ecclesiis sui Ordinis prædicare voluerint, teneri ab Episcopo Diocesano benedictionem petere, prædicare tamen posse, quanvis illam non obtinuerint. Quod si Episcopus benedictionem nedum non concesserit, sed etiam contradixerit, nec in prædictis quidem Ecclesiis licere Regularibus prædicare: eosque contravenientes, ab illo tanquam Sedi Apostolicæ Delegato, censuris aliisque pœnis Ecclesiasticis, in vim Constitutionis sel. record. Gregorii XV. prædecessoris nostri, incipientis Inscrutabili Dei providentiâ, coerceri & puniri posse, &c.* Et postmodùm: *Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad Confessiones Secularium in sua diœcesi audiendas approbatos, non posse in alia diœcesi eas absque Episcopi Diocesani approbatione audire, quanvis pœnites subditi sint ejus Episcopi, à quo illi Religiosi jam fuerant approbati. Et generaliter approbatos ab Episcopo ad personarum Secularium Confessiones audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quoad hoc speciali Episcopi approbatione, &c.* Et paulò post: *Ceterùm in*

Monasteriis, ac etiam Collegiis, ubi juxta regularia instituta vivitur, posse tam Prælatos Regulares, quam Confessores Regularium eorundem Monasteriorum aut Collegiorum audire Confessiones Secularium illorum, qui inibi sunt verè de familia, & continui commensales, non autem illorum qui tantum ipsis deferunt. Et aliquantò potest: Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolica reservatis, non idèò à casibus Episcopo reservatis posse absolvere. Possè autem Regularem Confessorem in ea Diocesi in qua est approbatus, confluentes ex alia diocesi à peccatis in ipsa reservatis, non autem in illa ubi idem Confessor est approbatus, absolvere, nisi eosdem Pœnitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diocesim pro absolutione obtinenda migrasse, hac Constitutione decernimus ac declaramus. Hæc eadem Bulla expressè declarat quæcunque his contraria concessa ab Apostolica Sede privilegia, quæcunque illa sint, Regularibus cujuscunque sint Ordinis, Instituti, aut Societatis, etiam Jesu, revocari & extingui. Ita quæ ex ea Bulla hoc loco inferui, conformia sunt non modò aliis superiùs relatis Constitutionibus Pontificiis, sed etiam constanti hujuscè Regni usui & praxi. Aliæ verò quædam sunt hujuscè Bullæ partes, quæ potestatem Episcoporum coarctabant circa limitationes facultatum Confessionum audiendarum, aut verbum Dei prædicandi respectu Regularium, ita ut occurrentibus aliquando gravibus scandalis Episcopi succurrere non valerent, ob evocationes crebras ad supremam Sedem, qua occasione Episcopi inaniter fatigarentur, & offensiones Dei & fidelis Populi licentiosius prorogarentur: his ex causis visum est in Gallia istam Constitutionem, quæ quidem ibidem publicata non fuit, quoad illas saltem partes jura Episcoporum restringentes, non recipere. Qua de re Suprema Parisiensis Curia decretum edidit die Septembris 11. anno 1670. ad requisitionem Regii Procuratoris.

XII. Quum in Francia Ludovico XIII. regnante graves emerissent contentiones inter Episcopos & Regulares, tandem amicè composite sunt Armandi Richelei Cardinalis interventu, Parisiis die 19. Februarii, anno 1633. Omnes namque ferè Religiosorum Ordines per Gallias dispersi, interventu suorum Regularium præcipuorum Prælatorum, qui Parisiis convenerant, sequentem declarationem ediderunt & subscripserunt, quæ in publica Tabularia Gallicani Cleri redacta fuit. *Agnosimus & profite-mur, nos minimè posse aut debere intra ullam Diocesim verbum Dei predicare sine Dominorum Ordinariorum licentia & approbatione, quos satemur posse nos examinare, & licentiam quam nobis concesserint, revocare quum ipsis visum fuerit. Prostemur etiam, nos nec posse, nec debere intra Dioceses audire Secu-larium Confessiones, citra eorundem approbationem, quam possunt ipsi revocare quum id expedire judicaverint, sive propter notoriam incapacitatem, sive rati-one publici scandali. Ipsi tamen supplicamus ut judicium suum suspendant, donec Superiores Regulares admonuerint de causis ob quas sit istiusmodi revo-*
satio

ratio facienda: ut post debitam inquisitionem ipsi Superiores Regulares provideant pro suo officio, sicut provisuros speramus: & si providere neglexerint, tum demum Domini Ordinarii pro sua auctoritate providebunt. Huic subscribere declarationi præcipui Superiores & Provinciales Societatis JESU, & Carmelitarum, tum Conventualium, tum Discalceatorum; Dominicanorum pariter, tum ex vico Jacobeo, tum ex suburbio Sancti Honorati; & Franciscanorum, tum Conventualium, tum Recollectorum; Fulienfium pariter, & Minimorum, & aliorum Ordinum; simulque Generalis Minister totius Ordinis Sanctæ Trinitatis Redemptionis Captivorum. Igitur quamlongissimè à vero aberrant illi Regulares, qui ut se subducant ab Ordinariorum auctoritate, negant receptum esse in hoc Regno Concilium Tridentinum, & Pontificum circa hanc rem Constitutiones: contrarium enim liquidò constat, tum ex communi usu, tum ex præcedenti Regularium Regni Declaratione. Præterea Bauni Religiosus Gallicanus Societatis JESU in sua illa Canonica Praxi, quam se ad consuetudines hujus Regni procudisse profitetur, hæc eadem sigillatim astruit & docet. Hoc astruunt Curiarum Regni Senatusconsulta, ex quibus unum Parisiense paulò superius retuli. Præterea generale Concilium Viennense in Regno isto habitum, & constans majori ex parte Gallicanis Prælati & Regularibus, eadem sanxit quæ hîc attingimus circa Regularium erga Episcopos in casibus præfatis subjectionem, præsertim circa Confessionum auditionem, & Divini verbi Prædicationem.

XIII. Potestatem habet Episcopus Regularibus exemptis, quemadmodum secularibus Sacerdotibus facultatem dare ad certum tempus limitatam audiendi Secularium Confessiones, quo finito non possint illas ulterius audire. Potestque idem ipsam facultatem à se indefinitè & sine temporis limitatione concessam, quum ei visa rationabilis causa fuerit, revocare: neque tenetur rationem reddere revocationis, quæ quandoque etiam prorsus sileri debet ad evitanda pertinacium contentionum aut aliorum graviorum peccatorum, quæ revocationi causam dederint, gravia scandala, & diffamationes. In causa Andegavensis Episcopi & Regularium tum Societatis JESU, tum aliorum Ordinum, quæ tandem Romæ judicio Alexandri Papæ VII. & Cardinalium dirempta est, examinata fuit ista Regularium prædictorum propositio: *Non possunt Episcopi limitare, seu restringere approbationes quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas, neque ulla ex parte revocare.* Hanc propositionem idem Pontifex cum cætu Cardinalium, declarat 30. Januarii, anno 1659. *falsam, temerariam, scandalosam, & erroneam.* Et antea Urbanus VIII. Pontifex facultates audiendarum Confessionum restrictas ac limitatas posse Regularibus ab Ordinariis concedi, declaraverat suo Brevi, anno 1639. in causa moti litigii inter Cardinalem Sandovallem, & Regulares illius Diocesanos: & expressè statuerat, finito hujusmodi limitatæ concessionis tempore, non

posse à Regularibus Confessiones Sæcularium audiri citra novam Ordinarii approbationem. Et paulò antè memoratum Concordatum Parisiense inter Episcopos & Regulares Regni, expressam continet Regularium declarationem, posse ab Episcopis revocari licentias audiendi Confessiones sibi Regularibus datas, quando ipsis Episcopis visum fuerit. Hoc idem declaraverat Nationalis Gallicani Cleri Conventus anno 1625. Sanctus insuper Carolus, Pontificum decus eximium, atque Ecclesiastica disciplinae norma & columen, his verbis decernit in Mediolanensi sexta Synodo: *Episcopus amoveat Confessarios, etiam Regulares jam approbatos, quos pro sua timorata conscientia religione viderit non in eo munere ita sincere, integrèque, & cum adificatione se gerere.* Eandem Religiosis circa audiendas Confessiones potestatem concessam revocari posse ab eodem qui concesserat Ordinario, tradunt qui post Concilium Tridentinum scripsere, Miranda ex Ordine Sancti Francisci, Cardinalis de Lugo ex Societate JESU: item Barbosa, Prosper Fagnanus, allegans etiam Sacra Cardinalium Congregationis declarationem, his verbis: *Questio proponebatur, an Regulares approbati ab Ordinario ad audiendas Confessiones, previo examine, ad tempus, exacto tempore, tanquam semel approbati possint invito Ordinario deinde audire Confessiones? Congregatio censuit, non posse.* Ipseque de Lugo tract. de Sacramento Pœnitentiæ, disput. 21. sect. 3. §. 1. ait posse Episcopos justa de causa revocare facultates quas ipsimet concesserunt Regularibus circa Confessionum auditionem, & posse contingere ut revocare teneantur ad animarum eis incumbentium salutem: & his casibus præsumendum esse in favorem Episcopi, qui rationem facti sui Religioso reddere non tenetur, neque ejus Superiori. Et plerumque causæ sunt occultæ, quas propalare non expedit: & quanvis certæ sint apud Episcopum, non tamen juridicè probari possunt vel debent, non solum ob litigia, jurgia, & scandala quæ inde nasci possent, sed etiam quia pœnitentes, & qui à pœnitentibus audierunt diversi Confessores, in rebus occultissimis, & quæ plerumque sigillo Pœnitentiæ coarctantur, atque ipsis pœnitentibus damna, vel etiam infamiam inferre possent, non debent ista in apertiolem notitiam proferri. Præterea facile hoc contingeret, ut Confessarius de sua in perpetuum approbatione securus negligat deinceps debitis studiis incumbere, ut qui antea capax fuerat, deinde per neglectum & oblivionem fiat incapax. Hæ rationes majoris ponderis sunt, quàm ut dignè possint æstimari.

XIV. Denique Rex Christianissimus pro suo officio providendi Sacrarum Ecclesiæ Constitutionum observationi, in suo sacratiore Status Regni Consilio, die 4. Martii; anno 1669. statuit, ut Ordinariorum mandata & concessionem limitatæ ac reservatæ Regularibus factæ, serventur secundum limitationes ab iisdem præfinitas: neque ausint Regulares in Ecclesiis etiam propriis concionari, aut Sæcularium Confessiones audire ultra terminos in Ordinariorum concessionibus præfixos: posseque ab Ordinariis solis præfixos

præfixos limites amoveri, & ab iisdem posse eisdem Regulares iterum examini subijci; quin etiam si visum eis fuerit, tempus jam concessum restringi, aut prorsus revocari, cujus rei rationem nemini reddere teneantur: item posse Regulares contumaces canonicis pœnis & censuris coerceri ab Ordinariis. In casibus autem simplicis per Regulares appellationis non licere eis ad aliud Tribunal provocare, præterquam ad Metropolitanum, conformiter ad Concordata Leonis Papæ X. cum Francorum Rege, aliasque Regni Leges. Et quoniam causa tunc vertebatur inter Episcopum Agennensem, & Regulares Societatis JESU, & alios Mendicantes, his omnibus prohibet, quos jam antea censuris suis perculerat contumaces idem Episcopus, Sacramentum Pœnitentiæ, aut prædicandi munus in quibuscunque Regni diocœsibus exercere, nisi postquam à præfatis censuris fuerint per Agennensem Episcopum absoluti & relaxati, aut intermedia appellatione per Metropolitanum. Prohibet denique, quod ab iisdem Regularibus factitatum fuerat, ne deinceps per Syndicos aut Conservatores in similibus causis agere audeant: sed solum, ut eorum quilibet suo privato nomine, si quod jus habet, illud prosequatur. Edicit demùm Regia ista Constitutio, ut in universis Regni diocœsibus præfata omnia promulgentur, & inviolabiliter serventur.

* XV. Post secundam istius Operis editionem aliæ similes causæ in regno isto Gallicano emerferunt. Biterrensis namque Episcopus pro jure suo aggressus est, dum ex officio suam lustrat diocœsim, visitare in oppido Giniaco ipsam Minoritarum Conventualium Ecclesiam & contiguum cœmeterium. Huic se tumultuosè opponunt Franciscani, commotæque plebe, vim adversus Episcopum commovere moluntur. Eam ob causam Episcopus omnes concessas hinc Regularibus confessionum sæcularium personarum audiendarum, verbique Dei prædicandi facultates revocat. Illi nihilo fecius pergunt in confessionibus audiendis, omnemque plebem adversus Antistitem concitant, qui ad istam coercendam proterviam monitiones edicit tum excommunicationis in rebelles, tum localis interdicti. Ab his Conventuales cum rebelli plebe appellationem, tanquam ab abusu, non ad Metropolitanum, sed ad Senatum Tolosanum interjiciunt. Sed causa penitus discussa, prodiit tandem Senatusconsultum cuncta ab Episcopo gesta justificans, & appellantes gravi mulctæ pecuniariæ subjicit, gravioribusque interminationibus ad parendum Episcopo adigit.

XVI. Non absimilis haud multò post inter præpotentes alterius Ordinis Regulares, & Illustrissimum Stephanum Camusium Gratianopolis Episcopum, simultas exorta est. Hic cum rescivisset de quodam ejusdem Ordinis, quod intra diocœsim inordinate se gereret, prudenter apud Superiores, scilicet Præpositum Domus Regularis & Provinciam egit privatim, ut in alterius Diocœsis familiam hominem transferrent. At illi freti, ut putabant, potentium amicorum præfidiis, & aliunde malè in Episcopum affecti,

affecti, ejus monita & preces neglexerunt. Spe sua elusus Episcopus, Religiosum de quo agebatur, admonet à se revocari quascumque licentias ipsi concessas confessiones audiendi, Deique verbum prædicandi: eam ille prohibitionem nihil pensi habet, persistitque in utroque solito, quanvis verito sibi exercitio. Qua rebellionem motus Prælatus, qui hæcenus privatis duntaxat monitionibus & prohibitionibus egerat, adigitur ad juridicas formas. Adhibito itaque Notario & testibus & scripto publico, suam tribus vicibus iterat prohibitionem, & censuras palam comminatur. Sed Regularis præfractè, tanquam ab abusu provocat ad Senatum. Commodum tamen acciderat, ut Antistitis causæ Regio diplomate ad Regii Consilii judicium fuissent dudum evocata. Tres tamen admoniti Regulares confisi se in sanctiore quoque Consistorio potentibus amicitis fulciri, ad illud idem suam prosequuntur appellationem. Consultò autem Romanæ cognitionis judicium declinabant, sub quo se causâ casuros non ignorabant, idque ex Summorum Pontificum Constitutionibus, & Romæ judiciis, in quibus sæpe succubuerant, augurabantur. Verumtamen Amplissimus Regii Consilii Ordo sapientiâ suâ indignum judicans, si aliqui Regulares, quorum præcipua laus in humilitatis professione, & erga venerandos Ecclesiæ Prælatos observantia consistere debet, adversus eximie pietatis Antistitem inolescere pergerent; & si dum iste sacro suo fungitur officio, rebellium subditorum aulicis artibus cum ignominia Domini Jesu succumbere cogeretur, adegit appellantes, ut ad pedes Episcopi provoluti veniam præteritæ rebellionis exposcerent, seque morem jussionibus illius gesturos pollicerentur: idque re ipsa præsentem scriba & testibus præstitere.

XVII. Neque verò Sacerdotibus etiam exemptis, aut Regularibus, quibus aliquando concessam confessiones audiendi, vel concionandi facultatem Ordinarius adimit, quidquam suppeditare præsidii potest Lugdunensis Concilii decretum sub Innocentio IV. Papa, verans quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis excommunicare, suspendere vel interdicare quemquam, nisi cum expressione ter iterata, atque per scripturam causæ propter quam indicitur censura: quod habetur decretum cap. 1. de sent. excom. in 6. Sed longè dispar est ratio in inflictione censuræ Ecclesiasticæ, atque in revocatione spontanei mandati, aut liberæ delegationis, vel cujuscumque demandatæ per Superiorem potestatis vel commissionis. Mandata enim, re adhuc integra, simplici revocatione notificata, certum est expirare, cap. *Mandatum*, de procurat. & cap. *Quanvis*, eod. tit. in 6. & cap. *Ex parte*, il 3. de rescript. Idemque statuitur circa delegatam potestatem, cap. *Quanvis*, de offic. jud. deleg. in 6.]



CAPUT XI.

Prosequutio potestatis Ordinariorum erga
Exemptos Regulares.

I. **I**NTEGRIS duodecim seculis Episcoporum erga Monachos potestas nullis ferè limitibus circumscripta permanit, ut compertum sit ex Dionysii Areopagitæ libro de Ecclesiastica Hierarchia, & insequentium ætatum monumentis, tum apud Concilia, tum apud Ecclesiasticos Scriptores. Oecumenicum Chalcedonenſe Concilium canone quarto, quosvis Monachos jubet Episcopis esse subditos & morigeros sub excommunicationis interminatione. Sanctissimus verò Abbas ac Monachorum pater & institutor Bernardus in epist. 42. hæc ita protestatur: *Certus sum ego Monachus & Monachorum qualiscunque Abbas, si mei quandoque Pontificis excutere à propriis cervicibus jugum tentavero, quod satanae mox tyrannidi meipsum subijcio.* Hæc ille scribit ad Henricum Senonensem Archiepiscopum. Aurelianensè quoque Concilium I. anno quingentesimo undecimo, regnante Clodoveo I. celebratum, Abbates Monasteriorum jubet Episcoporum potestati, correctioni & mandatis esse subiectos & morigeros, can. 9.

II. Novissimis porrò seculis Clerus Regularis plerasque exemptiones à Summis Pontificibus impetraverunt, quas deinde alii Summi Pontifices, & quædam Concilia moderandas ob salubrius Ecclesiæ regimen, atque ex parte revocandas judicarunt. Bonifacius Papa VIII. in cap. *Super Cathedram*, in Extrav. com. de sepulturis, Mendicantium Regularium exemptiones, quas prætendebant, certis limitibus coercuit. Ejus successor ex Ordine Predicatorum assumptus Benedictus XI. illos ipsos limites sustulit, cap. *Inter cunctas*, in Extrav. com. de privileg. Sed Benedicto qui successit Clemens V. in generali Concilio Viennensi abrogavit illam Benedicti Constitutionem, & Bonifacii dudum abolitam Sanctionem restituit, cap. *Dudum*, in Clement. de sepulturis. Postremò generale Tridentinum Concilium sess. 23. cap. 15. de Reform. decernit, ut non obstantibus quibuscunque privilegiis & exemptionibus, nullus Regularis possit sæcularium etiam Sacerdotum Confessiones audire sine approbatione Ordinarii, qui possit illum, si velit, examinare. Et sess. 25. cap. 4. de Reform. statuit, ut nullus Regularis, etiam in Ecclesia sui Ordinis contradicente Episcopo prædicare præsumat. Tridentina quoque sessionis 6. caput 3. renovat Concilii generalis Lugdunensis sub Innocentio IV. Decretum

cretum citatum in cap. *Volentes*, de privileg. in 6. quo Regulares ratione delictorum extra claustra commissorum, jurisdictioni subjiuntur Ordinariorum. Idemque Concilium circa Monialium clausuram, admissionem, & liberam professionem, & extraordinarias Confessiones, & quorumcunque Regularium reclamationes ob professionis invaliditatem, & circa alia nonnulla Religiosos submittit Ordinariorum jurisdictioni, correctioni & potestati.

III. Postmodum Pius Papa V. ex Dominicanorum Ordine, anno 1571. mense Augusto, in ea Constitutione quae incipit, *Romani Pontificis*, expresse decernit Religiosos Mendicantes ab Episcopo semel approbatos non posse postmodum ab eodem examinari, sed tamen posse à successore examinari. Hujus meminit Aegidius Coninch de Sacramento Pœnitentiæ, disp. 8. dub. 7. num. 57. & seqq. atque inde duas infert conclusiones. Primò, idem juris esse in diversis Diœcesibus, ut scilicet Mendicans Regularis in una diœcesi approbatus, necesse habeat ad audiendas in alia diœcesi Confessiones, necnon ad prædicandum Dei verbum, alteram sumere specialem approbationem ab ejus loci Ordinario, qui poterit ipsum examinare. Secundò, posse per successorem Episcopi qui approbaverat, ab auditione Confessionum, aut à prædicatione excludi; quia frustra jus haberet examinandi, si non posset prædecessoris sui concessionem revocare. Docet hoc idem ejusdem cum Aegidio Coninch Societatis, Suarez de Pœnit. disput. 28. sect. 5. num. 11. & Layman de Sacramento Pœnit. cap. 5. num. 5. Hæc verò Societas recensetur per Pontificum Decreta inter Mendicantes Ordines, & horum gaudet privilegiis. Cum autem ista Pii V. Constitutio anni 1571. sit posterior illâ quam idem Papa cuderat anno 1567. in amplissimum favorem Mendicantium, & contrariam Tridentinis Decretis, derogat sine dubio præcedenti Constitutioni, quemadmodum posteriores leges prioribus, quibus opponuntur, derogare solent, easque antiquare. Sed quia pleraque adhuc supererant in priore Pii Bulla, quæ posterior non abrogaverat, providit immediatus Pii successor Gregorius XIII. totius illius prioris Bullæ abrogationi, & novam edidit Constitutionem anno 1573. quâ disertis verbis primam Pii constitutionem prorsus obliterat, & testificatur Pium ipsum experientiâ incommodorum, quibus occasione prior illa sua Bulla præbuerat edoctum, statuisse illam integrè abolere, cujus executionem voluntatis superveniens ejus mors prævenit: sed tamen in vita sua ex parte abrogasse, nimirum per illam posteriorem anni 1571. cujus paulò antè memini. Deinde Urbanus Papa VIII. Constitutione sua 30. Augusti, anno 1629. sic ordinavit: *Regulares à Prædecessoribus Episcopis examinati & approbati ad Confessiones Secularium audiendas, à presenti Episcopo successore, pro majori conscientie sue quiete possunt iterum examinari; & si minus idonei reperti fuerint, reprobari, ad præscriptum Constitutionis sanctæ memoriæ Pii V. hac de re editæ.* Quia verò Regulares Societatis

tatis JESU, ob sibi concessa specialiter privilegia, quibus speciatim ac nominatim derogatum non fuerat, pretendebant se illis Pii & Urbani Decretis non comprehendi, sequuta est Innocentii X. Papae Constitutio quae incipit, *Cum sicut accepimus*, quae sic decernit art. 9. *Regulares etiam Societatis JESU, in una Diocesi ab Episcopo approbati ad Confessiones secularium audiendas, nequaquam possunt in alia Diocesi hujusmodi Confessiones audire sine approbatione Episcopi Diocesani.* Huc etiam spectant, & huc referto quae superiori capite, num. 13. & 14. adduxi de Sanctione Innocentii X. in causa Angelopolitani Episcopi, & Regularium Societatis JESU: & de altera Sanctione Alexandri Papae VII. in causa Episcopi Andegavensis, & Regularium praedictae Societatis, aliorumque in Diocesi Andegavensi commorantium. Et demum de Concordato Lutetiae Parisiorum inter Episcopos & Regulares Gallicanos celebrato, cui Patres Societatis JESU subscribere. Quinetiam antequam prodissent Constitutiones illae celebres Gregorii XV. Urbani VIII. Innocentii X. Alexandri VII. & Clementis X. quae omnem ambiguitatem excludunt, docuerat Bonacina de Poenit. Sacram. disp. 5. quaest. 7. punct. 4. §. 1. num. 16. posse ab Episcopo ex justa causa revocari simplicem & absolutam approbationem, quam Religioso indulerit ad audiendas Confessiones: ut enim sileam ex necessitate desumptas, & ex occasione abusuum & scandalorum supervenientium, nec ante praevisorum, urget illa communis regula; Omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur: cap. 1. de regul. jur. ut eadem potestas quae facultatem indulsit, possit eandem retractare. Idemque astruitur citato superius Concilii Mediolanensis Decreto, cui Sanctus Carolus praesidebat; & allegata doctrina eruditissimi Cardinalis de Lugo, praefatae Societatis Theologi consummatissimi.

IV. At verò non licere cujuscumque Ordinis Regularibus, quantumvis per Superiores proprios approbatis, verbum Dei praedicare, ne in propriis quidem Ecclesiis, inconsulto aut invito Episcopo seu Ordinario, non modò statutum fuit à Tridentinis Patribus sess. 5. cap. 2. & sess. 24. cap. 4. de reform. atque ab insequentibus Summis Pontificibus, verum etiam hoc idem Francica Jura praescribunt, ut videre est in Edicto Melodunensi anni 1579. art. 6. ubi hoc statuitur; & praeterea Regiis Magistratibus prohibetur ne committant vel introducant ullos in Ecclesias Concionatores, sed hoc totum relinquunt Episcoporum arbitrio, quibus solis eorumque Vicariis id sollicitudinis incumbit.

V. De casibus verò ab Episcopis reservatis, Gregorius XIII. in Bulla incipiente, *Cum à sacra*, quam refert Quaranta lib. 4. cujus meminit Graffius monachus Benedictinus, & alii plerique, declarat Regularem habentem privilegium à Papa absolvendi à quibuscumque casibus ipsi Papae reservatis, non adipisci hoc ipso potestatem absolvendi à casibus aut censuris per Ordinarios locorum reservatis: aded ut si Ordinarius reservaverit

casum aliquem ex iis qui recensentur inter reservatos à Papa, hoc ipso restringi facultatem à Papa concessam circa talem casum, ut necessarius sit recursus ad Ordinarium pro ista impertienda absolutione, sive habeat ipse Ordinarius facultatem à Papa sibi concessam circa eum casum, sive non habeat: cum possit semper Episcopus suas reservationes, ut libuerit, tollere aut suspendere. Porro Grassii verba hæc ipsa sunt, Decis. Aur. p.1. lib.1. cap.13. de potestate Confessar. n.56. Item quæri potest utrum Religiosus, qui facultatem habet à Sede Apostolica absolvendi à quibusvis casibus & censuris, si Episcopus alicujus civitatis particulari Constitutione reservaverit sibi unum vel plures casus Papales, imponitque censuram absolventi, an poterit Religiosus prædictus ab illo vel illis casibus absolvere. Respondeo quod non, ut est declaratum per Gregorium XII. quemadmodum refertur per Car. Neapolit. lib.4. incip. Cum à sacra. Hactenus Grassius. Id verò ita rationi congruum visum est, ut ante istam Gregorii XII. Declarationem hoc idem aliteru- rit insignis ex Ordine Prædicatorum Theologus Dominicus Soto in 4. Sent. dist.18. quest.4. art.3. §. Quo ergo. His successit Sacræ Congrega- tionis Decretum Clementis Papæ VII. approbatione munitum, quo ita- titur neque Societatis JESU Religiosos, neque alios quoscumque Regu- lares, aut quomodolibet exemptos, etsi facultatem obtinissent à qui- buscumque casibus & censuris absolvendi, etiam Papæ reservatis, posse ullatenus hoc prætextu absolvere à reservatis per locorum Ordinarios. Illud refertur à Quaranta in Bullario, sub tit. Casus reservati. Sanè hoc Decretum se quodammodo restringit his verbis, Per universam Italiam: attamen non solum in suo robore perdurant præcedentes universaliter lo- quentes Constitutiones, sed etiam subsequentes, quæ hoc illimitatè ac ge- neraliter decernunt. Decretum enim Pauli V. confirmans Sacræ Congre- gationis judicium, omnibus Regularibus, aliisque quantumlibet exemptis seu privilegiatis prohibet absolutionem impendere à casibus & censuris, quascumque locorum Ordinarii reservaverint, nisi ex ipsorum licentia. Cujus Decreti mentio est apud Filliucium Societatis JESU Scriptorem Tract. de Censuris in particulari, cap.10. circa finem. Qui ibidem disertè asseverat, virtute præfatorum Decretorum teneri indubitanter & astringi omnes Regulares, ac Exemptos. Successit deinde Bulla Gregorii XV. Papæ, deinde Breve Alexandri VII. in quo damnatur ista propositio: Regulares habent potestatem absolvendi à peccatis Episcopo reservatis, etiam si ab Episcopo autoritas ipsa ipsis indulta non fuerit: & declaratur ista propositio falsa, auctoritati Episcoporum & Sedis Apostolicæ injuriosa. Hoc Breve direxit Summus Pontifex ad Episcopum An. egavensem, die 26. Februarii 1659. Hac eadem docuerat olim Grassius Regularis Benedicti- nus Decis. Aurearum p.1. lib.1. cap. 13. num.6. quanvis major pars ha- rum Pontificiarum Constitutionum nondum in lucem, dum ille scribebat, emanasset. His demùm adjunge Bullam Clementis Papæ X. anni 1670. qua

quæ incipit, *Supernâ magni Patrisfamilias*; & ita decernit: *Habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolica reservatis, non ideo à casibus Episcopo reservatis posse absolvere, hac constitutione decernimus ac declaramus.*

VI. In causa pariter Fidei Regulares quantumvis exempti subjiuntur Ordinariorum jurisdictioni, cap. *Ad abolendam*, de hæret. & Concilio Trident. sess. 5. cap. 2. §. *Si verò*. Præterea generaliter, quoties agitur contra Regularem causa criminalis, constituit Generale Lugdunense Concilium sub Innocentio IV. ut cognitio & iudicium spectet ad Episcopum: & habetur in cap. *Volentes*, de privileg. in 6. his verbis: *Definimus quod quantumcunque Exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, vel contractus, vel rei de qua agitur contra ipsos, rectè possunt coram locorum Ordinariis conveniri*. Hoc ipsum jus instauravit Concilium pariter Trident. sess. 7. cap. 14. de reform. Quinetiam ipso Francico jure hoc idem à Carolo IX. astruitur in Aurelianensibus Comitibus art. 11. in quo de appellationibus providetur in his causis: & declaratur pariter appellationes Regularium à sententia Episcopi in causa criminis, non suspendere sententiam, sed devolvere: *Omnes (inquit) Abbates & Abbatisse, Priores & Priorisse non existentes Capita Ordinum, indifferenter subiecti erunt Archiepiscopo vel Episcopo diocesano, nec poterunt ullis nisi privilegiis ac exemptionibus circa visitationem aut punitionem criminum, non obstantibus quibuslibet appellationibus, aut oppositionibus, quarum nobis cognitionem reservamus*. Atque ita tales appellationes evocantur in hoc Regno ad privatum Regium Consilium, aliis exclusis Tribunalibus.

VII. Item quum Regularium exemptorum Præfecti suo circa subditorum correctionem officio defunt, si admoniti intra sex menses non correxerint, aut disciplina claustralis instaurati non providerint, possunt Episcopi ut Sedis Apostolicæ Delegati, visitare, ordinare, & corrigere, perinde ac possent Regulares Prælati juxta Ordinis instituta, quibusvis exceptionibus & appellationibus remotis. Concilium Trident. sess. 21. cap. 8. Simile quid statuitur in cap. *Quanto*, de officio Judic. ordin. ut scilicet Ordinarius per se suppleat Abbatis negligentiam circa vagos & erroneos Monachos. Quod idem pariter in Gallia providetur memorato artic. 11. Aurelianensi.

VIII. Curatæ item Ecclesia Monasteriis & Religionibus adnexæ, visitationi, jurisdictioni, & authoritati subduntur Ordinariorum, toto tit. de Capel. monach. & cap. *Ex ore*, de privileg. & habent Ordinarii jurisdictionem supra Monachos seu Religiosos, qui eis deserviunt: adeo ut possint ab Ordinariis ex causa suspendi, interdici, excommunicari, ut statuit Innocentius IV. in Concilio generali Lugdunensi, cap. 1. §. *In eos*, de privileg. in 6. Eademque Jura confirmantur Concilii Trident. sess. 25. cap. 11. his verbis: *In Monasteriis, seu domibus Virorum ac Mulierum,*

quibus imminet cura animarum personarum secularium, præter eas quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia, persone tam seculares, quàm regulares hujusmodi curam exercentes subsint immediatè in his quæ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diocesi sunt sita. Nec ibi aliqui, etiam ad nutum amovibiles deputentur, nisi de ejus consensu, ac previo examine per Episcopum aut ejus Vicarium faciendo. Hoc ipsum jus viget & observatur in Gallia, ut multis Senatufconsultis judicatum est, & nuper Suprema Curia Lutetiæ Parisiorum judicavit, anno 1668. pro Aquifextiensi Episcopo adversus Sammaximianos Regulares Ordinis Prædicatorum, circa visitationem, correctionem & ordinationem Ecclesiæ Parochialis Ordini Dominicorum unitæ, & Regulares ejusdem Instituti, per quos illa solet administrari: atque ut Monasterium procuraciones visitationis exsolvat, & Parochus regularis Synodo annuæ intersit, ab Archiepiscopo in omnibus functionibus curialibus dependeat, & Cathedræ quadragesimali non alius provideatur, quàm quem Archiepiscopus, sive Seculare, sive Regularem elegerit. Quæ omnia Sacris Canonibus conformia sunt. Parochiales quippe Monachorum Capellæ debent à Parocho administrari, qui approbationem habeat ab Episcopo, ejusque authoritati & jurisdictioni subiciatur, can. Sanè, 16. quæst. 2. & cap. 1. de Capellis Monach. & cap. De Monachis, de præbend. ubi & hoc statuitur, de Capellis illis Monachorum Parochialibus persolvenda esse jura Episcopalia. Quod idem habetur in cap. Ex ore, §. In privilegio, de privileg. In quo etiam d. cap. Ex ore, §. Porro, decernitur debere eum qui præest Capellæ Monachorum Parochiali, quanvis sit Regularis, aut etiam Abbas, ac teneri interessè Synodo Diocelana.

IX. Jus quoque visitandi Ecclesias quascunque quomodolibet exemptas non modò competit Episcopis, sed etiam ut singulis annis eas visitent, & opportunis remediis provideant earum reparationi, cultui, & ministerio, districtè eis præcipitur à Concilio Trident. sess. 7. cap. 8. appellationibus, privilegiis, inhibitionibus, & contrariæ consuetudinis, etiam immemorialis oppositionibus omnibus exclusis. Hoc idem repetitur sess. 24. cap. 9. de reform. & extenditur non modò ad quascunque exemptas Ecclesias, sed etiam ad eas, quæ nullius Diocesis ex privilegio dicuntur esse, si sint seculares. Immodò etiam si sint Regulares nullius Diocesis, simulque Parochiales, & Abbates aliive regulares Prælati circa illas Ecclesias negligenter se gerant, poterit non quidem Suffraganeus Episcopus, sed Metropolitanus visitare & providere, omni remota appellatione aut reclamatione, sess. 5. cap. 2. §. Si quæ verò Parochiales.

X. Si contingat Regularem exemptum in excommunicationem labi, sive à Jure prolata, sive à Judice, eaque sit evidens, potest Episcopus illum hoc sine denunciare, ne proprii subditi communicent eidem. Clem. 1. §. 1. de privileg.

XI. Item

XI. Item circa Processiones ita edicit Concilium Trid. sess. 25. cap. 13. *Controversias omnes de precedentia, que sæpe cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam seculares quam regulares, tam in solemnibus Processionibus quam in Exequiis, Episcopus amota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componat. Exempli autem omnes, tam seculares, quam regulares Clerici, quicumque etiam Monachi ad Processionem vocati accedere compellantur, iis tantum exceptis, qui in strictiori Clausura perpetuo vivunt.*

XII. Quod attinet ad Ecclesias quibus animarum cura incumbit, Ordini Militum sancti Joannis subditas, & quid in eis possint Episcopi, declarat Rescriptum Pii V. incipiens: *Exposcit. Decernimus, declaramus, & statuimus, omnes & singulos locorum Episcopos, & alios Superiores, tanquam Apostolica Sedis Delegatos, omnes & quascunque Parochiales Ecclesias, ceteraque Beneficia Ecclesiastica suarum civitatum & Diocesum, quibus imminet animarum cura, ad dictam Religionem, ejusque Milites, Capellanos, Ministros, Rectores, Vicarios quomodolibet pertinent. etiam quando in eis Episcopalem & temporalem jurisdictionem Religio & Milites predicti haberent, eorumque Ecclesias, Rectores, Vicarios, & Ministros quoscunque (in his tamen duntaxat que animarum curam, illiusque exercitium & Sacramentorum administrationem respiciunt) visitare, omnesque alius visitationem concernentes exercere posse ac debere: ac Rectores ac Ministros ceteros hujusmodi curarum animarum exercentes, minus idoneos repositos, si quidem ad nutum amovibiles sint, statim amovere; sin vero Titulares sint, illico suspendere, ac Superiores regulares monere ut intra aliquem brevem terminum in locum amotorum subrogent alios idoneos, prius tamen pariter examinatos & approbatos per ipsos Episcopos, & alios Superiores. Titularibus vero suspensis deputent alios idoneos pariter examinatos, & approbatos, ut supra, in Coadjutores sive Vicarios, juxta Decretum Concilii Trident. sess. 21. cap. 6. Interea vero dum hæc subrogatio seu deputatio fit, ipsi Episcopi & alii Superiores pro necessitate cura animarum provideant arbitrio suo. Quod si Superiores dictorum Rectorum & Ministrorum intra tempus prefixum non subrogaverint, aut deputaverint, ut supra, tunc dicto termino elapso ipsi Episcopi & alii Superiores, previo examine alios, juxta supradicti Concilii formam, idoneos repositos in locum amotorum subrogent: Titularibus vero suspensis Coadjutores deputent, juxta dictum cap. 6. sess. 21. qui tamen in dictis Parochialibus perinde inserviant, ac si subrogati ac deputati ab ipsis Superioribus Religionis & Militum predictorum fuissent. Voluntas autem quod Episcopi & alii Superiores predicti visitationem hujusmodi, & alia predicta omnia solum tanquam Delegati Apostolica Sedis gratis & absque ulla dictæ Religionis Rectorum impensa & onere faciant, &c. Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 22. Septembris 1571. Pontificatus nostri anno 6.*

XIII. Si lis adversus Regularem intenditur, & in figura judicii causa terminanda est, aut si alias extrà Regulam Regularis deliquit, Episcopus notionem

notionem suam interponere debet, juxta can. *De persona*, 21. quæst. 1. Ita Bengæus de divis. benef. §. 8. num. 11. Aufrelius ad quæst. 408. Capellæ Tolosanae, Renatus Chopinus lib. 1. de sacra Politia, cap. 4. num. 28. Papo collect. Placitorum tit. de jurisd. Eccles. art. 14. & tit. de jurisd. temporali, art. 36. Cujacius ad cap. 9. de vita & honest. Cler. Scriptores Gallicani omnes, ipsūque Aurelianense Caroli IX. Edictum art. 11. Hoc ipsū afferit Panormitanus in cap. *Cum contingat*, num. 24. de foro comper.

XIV. Nova ædificari Ecclesia non potest, sive per Sæculares, sive per Regulares injussu Ordinarii, can. *Nemo Ecclesias* 9. de consecr. dist. 1. ne Capella quidem vel Oratorium, cap. *Authoritate*, de privileg. in 6. Eadem edicit Justinianus Authent. de Eccles. titulis, §. *Si quis autem*: præcipuè verò de Monasteriorum constructione, Authent. de Monachis, §. 1. & Authent. Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi, §. 1. Quod idem olim statuerat Concilium œcumenicum Chalcedonenſe can. 4. & novissimè Tridentinum sess. 23. in fine.

XV. Regularis non potest solvi à sua religiosa professione, adversus quam reclamatur titulo nullitatis, nisi allegatis coram Ordinario causis, & per ejus definitivam sententiam, ex Concilio Trident. sess. 25. cap. 29. de Regul. Hac de re copiosius agam sub titulo de Regularib. & Relig. profess.

XVI. Ordinariis etiam jus competit visitandi clausuras Monialium subditarum Exemptis, tam sæcularibus quàm Regularibus, & quæcunque ad eam pertinent, ordinandi & exequendi. Ita sanxit Jus ipsum commune cap. *Periculoso*, de stat. Regular. in 6. & Concilium Trident. sess. 25. cap. 5. de Regularib. His conformantur Leges Franciæ in Comitibus Aurelianensibus sub Carolo IX. artic. 11. ita decernente: *Omnes Abbates & Abbatissæ, Priores & Priorissæ non existentes Capita Ordinum, indifferenter subiecti erunt Archiepiscopo vel Episcopo Diocæsano, nec poterunt ullis privilegiis uti, seu exemptionibus circa visitationem aut punitionem criminum, nihil obstantibus quibuscumque oppositionibus vel appellationibus, quarum nobis cognitionem reservamus.* His successit Bulla Gregorii XV. incipiens *Inscrutabili*, eadem decernens.

XVII. Prohibet insuper Concilium Trident. sess. 25. cap. 17. de Regular. admitti puellam, sive ad Religionis habitum, sive ad Religiosam Professionem, antequam per Monasterii Præfectam Episcopus aut ejus Vicarius admonitus voluntatem puellæ admittendæ exploraverit, sive per se, sive per deputatū à se. Si verò Præfecta hoc neglexerit, ab Officio quandiu Ordinario videbitur suspendetur. Hoc idem edixit in Francia Henricus III. in Blesensibus Comitibus, art. 28.

XVIII. Bassæus ex Ordine Capucinatorum Belga ita scribit: *Certum est Regularis non posse uti in foro conscientia privilegiis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum, & per Gregorium XIII. in Bulla quæ incipit:*

In tanta negotiorum mole. Hæc Bassæus verb. *Privilegium* 4. num. 8. Idemque in verb. *Privilegium* 1. num. 8. *Omnia* (inquit) & *singula privilegia, gratias & concessiones viva vocis oraculo factas quibuslibet Ordinibus, revocaverunt Gregorius XV. in Bulla, Romanus Pontifex in specula, die Julii 2. anno 1622. & Urbanus VIII. in Bulla, Aliàs felicis, die 2. Decembris 1631. adeo ut Regularibus non liceat illis uti, nisi scripto firmata à Papa fuerim.* Ita Bassæus. Adjunge his Gregorii XV. celebrem Bullam, quæ incipit *Inscrutabili*, cujus tenorem, qui talis est ut sequitur, visum est huic loco intexere.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.
Ad perpetuam rei memoriam.

INscrutabili Dei providentiâ universalis Ecclesiæ regimini, meritis licet imparibus, præidentes, pastoralis nostræ sollicitudinis partes esse dignoscimus, in eam curam præcipuè incumbere, ut à dignis, & probatis tantum Sacerdotibus sanctè administrantur Ecclesiastica Sacramenta, atque ut virginum Deo sacrarum Monasteria diligentissimè custodiantur, & viri assumantur idonei ad prædicationis officium salubriter exequendum.

§. 1. Sanè Tridentinæ Synodi decretis providè cautum est, nullum Presbyterum, etiam regularem, posse Confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.

Concil.
Trident.
sess. 23.
cap. 15.
de reform.

§. 2. Necnon ut in Monasteriis, seu domibus virorum, seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum secularium, præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum, seu locorum familia, personæ tam Regulares quàm seculares ejusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis, quæ ad dictam curam, & Sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, vilitationi, & correctioni Episcopi, in cujus dicecesi sunt sita. Itemque ut Episcopi universi sub obestatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ in omnibus Monasteriis sibi subjectis Ordinariâ, in aliis verò Sedis Apostolicæ autoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, & ubi inviolata est, conservari maximè procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, quacumque appellatione postposita, compescentes.

Concil.
Trident.
sess. 25.
cap. 11.
de Regular.

Concil.
Trident.
sess. 25.
cap. 5. de
Regular.

§. 3. Atque ut Regulares in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare volentes, se coram Episcopis præsentare, & ab eis benedictionem petere teneantur; in Ecclesiis verò, quæ suorum Ordinum non sunt, nullo modo prædicare possint sine Episcopi licentiâ; contradicente

Concil.
Trident.
sess. 24.
cap. 4. de
Reform.

H
,, autem

„ autem Episcopo nullibi, etiam in suorum Ordinum Ecclesiis prædicare
 „ præsumant.

„ §. 4. Verùm quia experienciã compertum est, Ecclesiastici regimini
 „ rationes postulare, ut decretis ejusmodi aliquid adjungatur: matura deli-
 „ beratione nostra, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis ple-
 „ nitudine, hac generali, ac perpetuò valitura Constitutione decernimus,
 „ statuimus, & declaramus, ut deinceps tam Regulares, quàm Seculares,
 „ quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum secularium
 „ Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel
 „ beneficiis, sive regularibus, sive secularibus incumbentem exercent;
 „ sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent, præviã
 „ Episcopi licentiã & approbatione; sive quoquo modo in dicta curã
 „ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis admi-
 „ nistratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ
 „ ejusmodi curam, seu administrationem concernunt, omnimodã jurif-
 „ dictioni, vilitationi, & correctioni Diccelsani Episcopi, tanquam Sedis
 „ Apostolicæ Delegati, plenè in omnibus subjiciantur. Ad hæc tam Re-
 „ gulares, quàm Seculares hujusmodi nullis privilegiis, aut exemptionibus
 „ tueri se possint quominus, si deliquerint circa personas intra septa de-
 „ gentes, aut circa clausuram, vel circa bonorum administrationem Mo-
 „ nasteriorum n̄onialium, etiam Regularibus subjectarum, ab Episcopo
 „ loci similiter tanquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegato, quoties,
 „ & quando opus fuerit, puniri, & corrigi valeant.

„ §. 5. Confessores verò, sive seculares, sive regulares quomodocunque
 „ exempti, tam ordinarii, quàm extraordinarii, ad Confessiones monialium,
 „ etiam Regularibus subjectarum audiendas nullatenus deputari valeant,
 „ nisi priùs ab Episcopo Diccelsano idonei judicentur, & approbationem,
 „ quæ gratis concedatur, obtineant. Sed & administrantes bona ad eadem
 „ Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subje-
 „ ctarum pertinentia, sive Regulares extiterint, sive seculares quomodo-
 „ libet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus Regularibus,
 „ singulis annis rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere
 „ teneantur, ad idque juris remediis cogi, & compelli queant. Liceatque
 „ Episcopo ex rationabili causa Superiores Regulares admonere, ut ejus-
 „ modi Confessores, atque Administratores amoveant: iisque Superio-
 „ ribus id facere detrectantibus, aut negligentibus, habeat Episcopus fa-
 „ cultatem prædictos Confessores, & Administratores amovendi quoties
 „ & quando opus esse judicaverit. Ac similiter possit Episcopus, unã cum
 „ Superioribus Regularibus, quarumcunque Abbatissarum, Priorissarum,
 „ Præfectarum, vel Præpositarum eorundem Monasteriorum, quocumque
 „ nomine appellentur, electionibus per se, vel per alium interesse, ac præ-
 „ sidere; absque ulla tamen ipsorum Monasteriorum impensa.

„ §. 6. Ac

§. 6. Ac demum habeat Episcopus, tanquam dictæ Sedis Delegatus
 „ autoritatem coercendi, ac puniendi quoscumque exemptos, tam Secu-
 „ lares, quam Regulares, qui in alienis Ecclesiis, aut quæ suorum Ordini-
 „ num non sunt, absque Episcopi licentia, & in Ecclesiis suis, aut suo-
 „ rum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipso contradicente,
 „ prædicare præsumperint. Ita ut Episcopi in suprascriptis casibus in
 „ prænomatas personas in præmissis omnibus, & singulis, aut circa ea
 „ quoquo modo delinquentes, quoties, & quando opus fuerit, etiam
 „ extra visitationem, per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas, uti
 „ ejusdem Sedis Delegati, procedere, omnemque jurisdictionem exercere
 „ liberè, & licitè valeant.

§. 7. Decernentes sic per quoscumque Judices quavis autoritate fun-
 „ gentes, etiam Sacri Palatii Auditores, necnon Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
 „ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & in-
 „ terpretandi facultate, & autoritate, judicari, & definiri debere: Irritum
 „ quoque & inane, si secus super his à quoquam quavis autoritate scien-
 „ ter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Aposto-
 „ licis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Men-
 „ dicantium, quam non Mendicantium, Militarium, etiam Sancti Joannis
 „ Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cujusvis alterius
 „ Instituti, etiam necessariò, & in individuo exprimendi, Monasteriorum,
 „ Conventuum, Capitulorum, Ecclesiarum, & aliorum quorumcunque,
 „ tam secularium, quam regularium locorum, necnon illorum, etiam
 „ juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis
 „ Statutis, vel Consuetudinibus, etiam immemorabilibus; exemptio-
 „ nibus quoque, indultis, & privilegiis, etiam in corpore Juris clausis,
 „ aut ex causa, & titulo oneroso, vel in limine foundationis concessi,
 „ etiam *Mari Magno*, seu Bulla Aurea, aut aliàs nuncupatis, Confer-
 „ vatorum deputationibus, eorumque, atque aliis inhibitionibus, quibus
 „ Episcopi deferre minimè teneantur, & quibusvis aliis sub quibuscunque
 „ tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogato-
 „ riis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus
 „ decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica po-
 „ testatis plenitudine, aut aliàs quomodolibet, etiam per viam communi-
 „ cationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & inno-
 „ vatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque to-
 „ tis tenoribus, & formis specialis & individua, ac de verbo ad verbum,
 „ non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis
 „ alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, te-
 „ nores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, &
 „ formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, præsentibus pro expressis
 „ habentes,

„ habentes , quibus quoad ea , quæ eisdem præsentibus adversantur , illis
 „ aliàs in suo robore permanuris , specialiter , & expressè derogamus ,
 „ cæterisque contrariis quibuscunque.
 „ §. 9. Cæterùm quia difficile foret præsentibus literas ad singula quæque
 „ loca deferri , ut ea tamen omnibus innotescant , mandamus illas ad valvas
 „ Lateranensis , & Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum , atque
 „ Cancellariæ Apostolicæ , & in Acie Campi Floræ publicari , & inibi
 „ affigi , & per aliquod temporis spatium dimitti , eisque detractis earum
 „ exempla eo in loco relinqui , &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ,
 „ anno Incarnationis Dominicæ 1622. Nonis Februarii , Pontificatus
 „ nostri anno 2.



CAPUT XII.

De Translationibus & Renunciationibus
Episcoporum.

I. **M**ATRIMONIUM quoddam intervenit inter Episcopum propriamque Ecclesiam : initiatum quidem per electionem , aut præsentationem : ratum per Summi Pontificis confirmationem : consummatum per consecrationem. Idemque connubium quatuor dissolvitur modis , translatione , renunciatione , depositione , & morte.

II. Translationes Episcoporum ex una in alteram Ecclesiam fieri prohibentur Canonibus Apostolorum 15. & 16. & Nicæna Synodo can. 16. & Sardicensi can. 1. & Carthaginensi can. *Non licet*, de consecr. dist. 4. Veruntamen ubi justa causa urget , sed non aliter , permitti potest Episcopi in aliam Ecclesiam translatio , idque solius Papæ , non autem Legati à latere autoritate , cap. *Nisi spiritualis* , & cap. *Quod translationem* , de offic. Legat. At verò inferiorum Clericorum translationi sufficit proprii Episcopi autoritas. Simile jus viget circa Coadjutores , quos dare Episcopis solus Papa valet ; at verò inferioribus Clericis etiam Episcopus , toto tit. de Cler. ægrot. vel debilit.

III. Renunciatio est propria Dignitatis vel Beneficii abdicatio. Et licet quisque juri suo renunciare possit , l. penult. Cod. de pactis : quia tamen , ut dixi , Matrimonium quoddam inquit inter Episcopum & propriam Ecclesiam , non potest Episcopus Ecclesiæ suæ renunciare , nisi ob aliquam ex causis sex relatis in cap. *Nisi* , de renunciacione. Sunt autem 1. Conscientia criminis , si tale sit ut post peractam pœnitentiam impediatur Officii

Officii Episcopalis exercitium. 2. Debilitas corporis similiter impediens, sive ex morbo sit, sive ex ætate decrepita. 3. Defectus scientiæ notabilis: nam mediocrem supplere potest (ut dicit d. cap. *Nisi*) perfecta Episcopi charitas. 4. Malitia Populi adversus Episcopum, si spem excludat ut possit Episcopus apud Populum proficere. 5. Grave scandalum futurum inevitabiliter. 6. Irregularitas Episcopi perpetua, ut dementia, epilepsia.

IV. Nulla valet renunciatio, nisi ejus autoritate fiat, ad quem spectat confirmatio. Eodem namque genere unumquodque dissolvitur, quo colligatum fuit, cap. 1. de regul. jur. & l. *Nilil tam naturale*, D. cod. Aded ut nec Abbates qui Papæ immediatè subsunt, abdicare se possint, nisi de Papæ consensu, cap. ult. de renunciat. Inferiores autem Clerici renunciare possunt in manus Prælati, à quo & confirmari potuerunt. Simplex tamen Electus, necdum confirmatus, renunciare juri suo in manibus Electorum potest, ut docet Abbas in cap. *Cum venissem*, de restitut. in integr.



CAPUT XIII.

De Vicario Episcopi, de Archidiacono, & de Coadjutoribus.

I. **E**PISCOPI suos possunt constituere Vicarios, tum generales, etiam plures, & à se invicem independentes; tum particulares, qui etiam vocantur Vicarii Foranei, jurisdictione fungentes in aliqua Diceccesis parte. Hi omnes Episcoporum vices gerunt in illis rebus quæ ad jurisdictionem, non quæ ad Ordinem spectant, nisi & ipsi quoque Vicarii ordinationem habuerint Episcopalem, atque ad hoc pariter à locorum Episcopis deputentur. Ut enim ait Glossa in cap. *Quanto*, de consuetud. verb. *Reservata*, Episcopi demandæ illa suis inferioribus possunt, quæ sunt jurisdictionis, non quæ Ordinis, nisi solis illis qui jam Ordinem habent Episcopalem. Hac ratione cavet Concilium Ancyrarum can. 3, ne Chorepiscopi, quos in partem suæ jurisdictionis Episcopus admiserit, audeant cuiquam Sacros Ordines conferre, etiamsi Ordinem suscepissent Episcopalem, nisi ex proprii Episcopi voluntate. Officia Vicarii generalis & Officialis in hoc distinguuntur, quatenus Vicario competit voluntaria jurisdictio, Officiali autem contentiosa, Atque ided non potest Officialis jus dicere extra fines Diceccesis, inamò ne quidem extra proprium Auditorium, cap. 1. de constitutionib. in 6. At voluntaria jurisdictio potest ubique terrarum per Vicarium exerceri, ut fit in literis testimonialibus, dispensationibus, & aliis concessionibus gratiosis.

tioſis, abſolutionibus, Beneficiorum collationibus, ſi ad id habet facultatem ſpecialem. Hæc verò communia habent Vicarius & Officialis, 1. quia uterque ſuam habet ab Epifcopo aliòve Superiore poteſtatem, eoque mortuo, vel excommunicato, vel deſtituto, horum deſinit juridiçtio. 2. Uterque poteſt cenſuras infligere: nec ab his appellatur ad Epifcopum, cum quo unum habent idemque tribunal, cap. 2. de conſuetud. & cap. *Romana*, in princ. de appellation. in 6.

II. Porro Vicarius & Officialis generalis cenſentur in materia juridiçtionis una eademque cum Epifcopo perſona, habentque cum eo unum idemque tribunal. Hinc fit, ut ab eorum ſententia non appelletur ad Epifcopum cujus vicem ſuſtinent, ſed ad Metropolitanum, cap. 2. de conſuet. & cap. *Romana*, in princ. de appellat. in 6. & vice verſa, certum eſt poſſe in cauſa appellationis Vicarium Metropolitanum cognofcere & judicare de Suffraganeorum ſententia.

III. Secus dicendum de Archidiaconorum judiciis. Ab iſtis enim ad Epifcopum ſolet provocari, d. cap. *Romana*, §. 2. Similiter de Foraneis Vicariis cenſendum eſt; ab iſtis namque ad Diceceſis Epifcopum, aut ejus Vicarium Generalem appellatur. Quia ſcilicet horum Foraneorum juridiçtio non eſt ordinaria, qualis eſt Vicarii, vel Officialis Generalis, ſed ſolum delegata. Zerola in praxi, p. 1. verb. *Vicarius*.

IV. Regulariter non poteſt Vicarius Generalis conferre Beneficia, niſi hoc ei ſpecialiter ab Epifcopo conſeſſum fuerit, cap. final. de offic. Vicar. in 6.

V. Diſceptatur, utrùm Vicarius Generalis, cui Epifcopus facultatem conferendi Beneficia non indulſit, poſſit à Patronis præſentatos inſtituere? Affirmat Coſmas Guimier in gloſſ. ad Pragmat. Sanct. tit. de collation. §. *Item voluit*, verb. *Vicario*: & Joannes Deſelva de Benef. p. 3. quæſt. 14. Doctores ambo Gallicani, & inſuper Abbas in cap. *Ex frequentibus*, de inſtitutione. Romanus ſingul. 501. aliique. Negat autem Rebuffus lib. 1. praxi, tit. *Forma Vicariatus*, num. 126. hæc fretus ratione, quia inſtitutio ad Patroni nominationem eſt vera collatio: ſupponitur verò Vicarium non habere collationis poteſtatem. Iſta Rebuffi ratio in theoria probabilis eſt; cæterùm in praxi attenditur magis conſuetudini, quæ eſt optima legum interpres, cap. *Cum dilectus*, de conſuet. & l. *Si de interpretatione*, D. de legib. Conſuetudinem autem probat Doctorum Pragmaticorum conſenſus frequentior. Et Guimiero & Deſelva pro affirmativa ſententia plerique alii ſubſcribant, Boërius Præſes Burdigaleniſis deciſ. 30. num. 4. Bellamera deciſ. 39. §. *Licet Vicarius*, Rota deciſ. 1. §. *Nota quod Vicarius*, tit. de renunciatione, in antiquis: Zerola in praxi, 1. p. verb. *Vicarius*, num. 15. & alii. Qui omnes diſtinguunt inter collationem liberam, & neceſſariam: & Vicariis liberam denegant, ſed eiſdem attribuunt neceſſariam: & fundantur præterea ſuper cap. *Ex frequentibus*, de inſtitutionibus, ubi dicitur inſtitu

institutionem Beneficiorum spectare ad Episcopos & eorum Officiales. Sed lubricum est fundamentum, ibi namque Institutionis vocabulum aliam habet notionem ad jura Patronorum non pertinentem. Sed aliud multò solidius fundamentum stabiliri debet in cap. 1. de institution. in 6. statuente Capitulum Sede vacante non posse quidem intra annum Beneficia conferre, sed tamen posse instituere presentatos: at eadem, imò validior ratio militat pro Episcopi Vicario.

VI. Vicarius Generalis, cui Episcopus Beneficiorum collationem specialiter non indulsit, non potest Beneficiorum resignationes, neque permutationes recipere. Eiusdem namque potestatis est exuere, cujus est investire: & aliunde permutatio requirit in Beneficiis duplicem collationem. Et Regula in utroque Jure continetur, Unamquamque rem per eandem causas dissolvi, per quas constituta fuit, cap. 1. de regul. jur. & l. *Nihil tam naturale*, D. de reg. jur. Ideoque non potest resignationem admittere, qui non potest conferre: Rebuffus in praxi, tit. *Forma Vicariatus*, num. 110. Ancharanus in capite unico, num. 2. de rerum permut. in 6. Zerola loco citato, numero 10.

VII. Præterea disceptatur, utrum si absente & ignorante Episcopo presentetur ejus Vicario mandatum Apostolicum de providendo, aut si eidem insinuetur, juxta Gallicanum usum, nominatio Indultarii, aut Graduati cum exhibitione Gradus ad obtinendum Beneficium, possit Vicarius hæc omnia acceptare & conferre? Et posse affirmat præcitatus Cosmas Guimierus in verb. *Vicario*, affirmans insuper, quod si inscius hujus facti Episcopus hoc idem beneficium alteri conferat, invalida sit Episcopi collatio, eaque Vicarii prævaleat, quia prima adversatur juri Mandatarii ac Indultarii aut Graduati: & quia cum istæ collationes liberæ non sint, sed necessariæ, ad istas extendi debet Vicarii potestas.

VIII. Item quaeritur, an Vicarius generalis, cui Episcopus potestatem dedit excipiendi resignationes in causa permutationis Beneficiorum, possit eadem conferre? Docet præfatus Guimierus posse conferre, quia certa præsumptio sit, Episcopum conferendo expressè illam potestatem admittendi resignationes in causa permutationis, velle hoc ipso id conferre quod est inseparabile, scilicet collationem compermutandorum Beneficiorum: eodem namque tempore & contextu fieri debent utriusque resignatio, & utriusque collatio. Urget quoque communis illa ratio, quia tunc illa collatio non libera, sed necessaria est. Atque istud probabilius esse dico quàm oppositum assertum à Rebuffo lib. 1. praxi, tit. *Forma Vicariatus*, num. 105.

IX. Si plures in eadem Dicecesi constituti sint Vicarii generales, sufficere potest si uni eorum presentetur Mandatum, aut insinuetur Nominatio, neque alter Vicarius interveniat. Cum enim singulis competat jurisdictionis in solidum, potest unus sine altero procedere. Et quod paulò supra dixi

dixi de Vicario, cujus valet processus sine Episcopo, multò magis obtinet in Vicario gerente sine Convicario: ambo quippe seorsim Episcopum representant, à quo suam singuli potestatem acceperunt.

X. Quid si Episcopus & Vicarius, alter altero inficio idem Beneficium diversis contulerint? Tenendum est prævalere Episcopi collationem ob personæ dignitatem, & quia ab ipso dependet Vicarii potestas, cap. *Dudum*, & cap. *Si à Sede*, de præbend. in 6. & quia censetur revocata Vicarii potestas quoad illam collationem: quemadmodum ille qui mandavit, si per se causam tractet, censetur quoad hoc limitare mandatum, & procuratoris sui potestatem, cap. *Si quem*, de procurat. in 6. Et per cognitionem quam adhibet Legatus, censetur subdelegatum suum revocare, cap. *Inimasti*, de appellation. Verùm si provisus à Vicario missus fuerit in possessionem ante provisum ab Episcopo, præferendus erit provisus à Vicario. Non enim præferendus est ab Episcopo provisus, nisi quando ambæ collationes æquo jure procederent, ut monet Rebuffus loco cit. num. 123.

XI. Vicarius ab Episcopo habens conferendi potestatem, potest etiam sicut Episcopus Beneficia conferre, etiam extra fines Diocesis. Est enim uterque Ordinarius, & collatio Beneficiorum est actus voluntariæ jurisdictionis, quam constat exerceri posse extra territorium, l. 2. D. de offic. Proconsulis.

XII. Quæritur an possit Vicarius Generalis sine speciali & expressa Episcopi concessione Literas ad Ordines dare Dimissorias? Tenendum est non posse, ut docet Rebuffus loco cit. num. 47. & 48. sic enim sancivit cap. *Cum nullus*, de temp. ordinat. in 6. Limitatur hoc tamen, si contingeret Episcopum in remotis agere, juxta idem cap. in fine, his verbis: *Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus Vicarius Generalis, vel Sede vacante Capitulum, seu is ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi.*

XIII. Quoties Episcopus justè recusari ut suspectus potest, eo ipso suspectus & recusabilis est ejus Generalis Vicarius & Officialis, cap. *Insinuante*, de offic. jud. deleg. Recusato autem Vicario aut Officiali, non recusatur per hoc Episcopus; quia Officiales censentur additiores Episcopo à quo dependent: sed Episcopus non dependet ab illis in sua dignitate & juribus. Ideòque recusato hujus Officiali aut Vicario, discutienda causa est coram Episcopo, cap. *Si contra unum*, de offic. deleg. in 6. Potestque Episcopus alteri committere cognitionem & judicium loco suspecti: Abbas in cap. *Super questionum*, §. *Quem vero*, de offic. deleg. Felinus ibid. num. 15. Zerola in praxi, 1. p. verb. *Vicarius*, in fine. Excommunicato autem Episcopo, Vicarius & Officialis nullam possunt exercere jurisdictionem, quia fons exaruit unde dimanabat omnis eorum jurisdictio, cap. *Romana*, & ibi Glossa in verb. *Ipsi*, de offic. Vicar. in 6. Rebuffus loco cit. num. 217. & alii quos citat & sequitur Zerola jam citatus.

XIV. Disceptant

XIV. Disceptant Canonistæ, utrùm Episcopus novum Vicarium Generale constituen- do præsumatur tacitè priorem revocare? Affirmant Geminianus, & Deselva de Beneficiis 2. part. quæst. 4. & inde probant, quia quum quis secundum procuratorem constituit, Jura decernunt eo ipso primum revocari, l. *Si quis*, §. 1. D. de procurat. & cap. *Non injustè*, cod. tit. Sed negant Vicarium Generale revocari Panormitanus in cap. *Volentes*, de offic. Legat. Boërius in decisionib. Bardigalensib. quæst. 347. Rebuffus in d. tit. *Forma Vicariatus*, num. 205. Melchior Pastor de Benef. lib. 1. cap. 11. in fine: istaque sententia prævalet. Lique enim Episcopum posse plures simul Vicarios Generales constituere; & solent plures in eodem officio decerni, ut facilius Reipublicæ consuli possit, l. unica, D. de offic. Consulibus. Est autem diversa ratio in diversis procuratoribus circa idem negotium constitutis, quia sæpius per concursum sese mutuo impediunt, & quod unus affirmat, alter negat, ut ait cap. penult. §. *Verum si ambo*, de election. in 6. Ideoque ibi Pontifex approbat quidem plures constitui Procuratores in solidum circa negotium canonicæ electionis; non tamen conjunctim, ut simul concurrant: sic enim difficile inter se convenient, & dissentiendo invicem omnia perturbabunt. At verò compertum est, plures Vicarios Generales solidam seorsum habere potestatem, nec simul in eodem negotio concurrere, sed singulos per præventionem seorsum agere à suo Collega & Convicario.

XV. Altera disceptatur quæstio, utrùm valida sint acta per Vicarium postquam ab Episcopo revocata ejus potestas fuit ipso inscio? Distinguunt aliqui cum Guimier: & valere acta negant, si facta sit revocatio ob ipsius crimen; secus verò, esse valida asserunt. Et hanc partem ritè probant per l. *Si forte*, D. de offic. Prætor. & per celebrem illam l. *Barbarius*, cod. tit. Huic tamen distinctioni refragantur Felinus in cap. *Ceterum*, num. 24. de rescript. & in cap. ult. in fine, de accusat. & Rebuffus loc. cit. quibus assentiri in hac re justius duco: quamdiu enim aliquis, quantumvis per- versus, sustinetur in officio, valent ejus acta, ut communiter docent Juris Interpretes ad d. l. *Barbarius*.

XVI. Quæstio etiam agitur, an possit Vicarius sine expresso Episcopi mandato resignationes recipere? Negamus id posse. Ratio est, quia sine speciali mandato non potest Vicarius exercere actus voluntariæ jurisdic- tionis: ejusmodi autem est resignatio pura & simplex. Id asserit Phi- lippus Probus alter à Guimiero Pragmaticæ Sanctionis Glossator & Scho- liastes, ad d. verb. *Vicarius*. Quoniam ea quæ sunt voluntariæ jurisdictionis, necesse est fieri coram proprio Judice, cap. *Per venerabilem*, qui filii sunt legit. Qua eadem ratione Exempti non possunt resignare in manus Episcopi, cap. *Cum venerabilis*, de consuetud. Quia solus Papa est Exemptorum Judex. Revisè quæ paulò antè dixi num. 6.

XVII. Postquam Episcopus per legitimam auctoritatem legitime declaratus

declaratus est suspensus, interdictus, aut excommunicatus, cessat statim omnis jurisdictio Vicarii & Officialis, ut antè dictum est, & in Capitulum transfertur eodem modo ac si Sedes vacaret per obitum, donec vel absolvatur Episcopus, vel alius ei detur successor. Prima hujus propositionis pars astruitur cap. 1. de offic. Vicar. in 6. Secunda verò pars liquet inde, quia excommunicatio & mors, quod attinet ad actus jurisditionis, equiparantur. Atqui mortuo Episcopo succedit Capitulum in jurisditionem, cap. *Cum olim*, de majorit. & obed. Itaque si Vicarius, qui olim legitima pollebat conferendi potestate, postmodum incidente in notoriam excommunicationem Episcopo, conferret aliquod beneficium, illa Vicarii collatio nulla & irrita foret. Et plerumque is qui per se non potest, neque per Vicarium, aut à se substitutum potest. Clement. *Religiosus*, de procurat.

XVIII. Henrici III. Constitutio in Comitibus Blesensibus, art. 35. prohibet creari Vicarium aut Officiale Generale qui non sit simul Sacerdos & Graduat. Concilium autem Tridentinum sess. 24. de reform. cap. 16. requirit, ut sit saltem in Jure Canonico Doctor, aut Licentiat, vel alias quantum fieri potest idoneus. His addunt Edicta Henrici II. & III. ut sit Regnicola.

XIX. Vicarius Generalis primum tenet post Episcopum dignitatis gradum: præcedit Archidiaconum, à cujus etiam judicio provocatio devolvitur ad Vicarium & Officiale, cap. *Romana Ecclesia*, §. *Ab Archidiacono*, de appellat. in 6. cum tamen ab his provocetur immediatè ad Metropolitanum. Sed si Vicarius Canonicus sit, non alium sessionis ordinem habebit in Choro & in Capitulo, quàm simplicis Canonici, juxta Rebuffum, Navarrum, & alios, quos allegat & sequitur Zerola p. 2. verb. *Vicarius*.

XX. Archidiaconus vocatur Oculus Episcopi, ut pro eo inspiciat, & emendet quæ corrigenda sunt, can. *Diaconi*, dist. 39. Hujus officium est Clericorum per omnem Diocesim moribus, honestati, & decentiæ in habitu & tonsura prospicere, Ecclesias ordinare, & ut reficiantur curare. Huic etiam multis locis incumbit onus Diocesim visitandi universam, singulis saltem trienniis, cap. 1. de offic. Archidiac. Debet quoque Sacrum Officium ordinare, ejusque munia inter Clericos partiri, cap. 2. eodem tit. Non potest tamen animarum curam aliis committere; quod potest Vicarius Generalis, cap. *Cum satis*, eod. rit. Archidiaconus vocatur à sancto Clemente Papa epist. 1. ad Jacobum fratrem Domini, Oculus Episcopi, can. *Diaconus*, distinct. 91. Et est perpetuus Episcopi Vicarius, omnem habens sollicitudinem & curam, tam in Clericis quàm in Ecclesiis, super quibus redditurus est rationem in districto Dei judicio, cap. *Ad hæc*, de offic. Archidiac. Et quanvis Nicæni I. Concilii can. 14. Diaconi Presbyteris declarentur inferiores, can. *Pervenit*, dist. 93. & Concilii Laodiceni
cano.

canon 20. Diaconis prohibeat sedere in praesentia Presbyteri, nisi hoc eis Presbyter ipse jubeat, can. *Non oportet*, dist. 93. de Archidiacono tamen declarat Innocentius Papa III. ipsum non modò habere sollicitudinem Parochiarum, easque ordinare, & jurgia singulorum audire, sed etiam Archipresbyteros & Decanos sub sua jurisdictione continere, & quae sunt in his omnibus corrigenda corrigere, & emendare: itemque Ordinibus Sacris initiandos examinare, & postmodum illos praesentare Episcopo: praeficiendos quoque Beneficiis examinare, & examinatos similiter Episcopo praesentare, d. cap. *Ad haec*, & cap. *Ut nostrum*, eod. tit. Licet autem Concilium Trident. sess. 24. cap. 18. de reform. fanciat ut deputentur ab Episcopo tres Examinatores, jus tamen habet Archidiaconus se his adjungendi. Zerola 2. p. verb. *Archidiaconus*. Licet etiam statuerit Concilium Trident. sess. 24. cap. 16. ut mortuo Episcopo eligatur à Capitulo Vicarius Generalis intra dies octo; quia tamen d. cap. *Ad haec*, attribuit Archidiacono, ut sit perpetuus in tota dioecesi Vicarius Episcopi, eique de jure incumbat tum Ecclesiarum, tum Clericorum sollicitudo & ministerium, potest Archidiaconus autoritate fungi Generalis Vicarii toto illo octiduo, usque ad novi electionem Vicarii, juxta Zerolam 1. p. verb. *Archidiaconus*; quoniam non est à Jure veteri recedendum, nisi quatenus ei per novum Jus derogatur, & non ulterius, juxta legem *Præcipimus*, C. de appellation. Hoc tamen liquet, multis juribus & prerogativis privatos nunc esse Archidiaconos, quæ illis antiquitus competebant; ob contrariam consuetudinem, & ob novi Juris dispositiones oppositas. Sanè nec Jure quidem veteri ullam habebant excommunicandi potestatem, cap. *Archidiaconis*, de offic. Archidiacon. neque committendi animarum curam alicui, cap. *Cum satis*: neque concedendi Literas ad Ordines dimissorias, cap. *Significasti*: neque exercendi ullam in Monasteria jurisdictionem, cap. ult. eod. tit.

XXI. Archidiacono, vel alio quovis in Ecclesiastica dignitate constituto in amentiam, vel in morbum, quo fit inhabilis ad munia quæ sibi attinent obeunda, incidente, non vacat ejus Dignitas, vel Officium, vel Beneficium, neque illo privandus est: sed ei de Coadjutore providendum, deducta ex redditibus conveniente ad vitam Coadjutoris portione. Navar. consil. 1. de Cler. agrot. Zerola 2. p. verb. *Archidiaconus*, Gomezius tract. de Expectativis, num. 60. Covarruvias in cap. *Alma mater*, 1. p. §. 7. n. 4. not. 11. juxta dispositionem cap. *Ex parte*, & cap. ult. de Cleric. agrot. Et ubi inhabilis ex morbo habituali, vel ex superveniente corporis defectu, restat tamen compos rationis, potest resignando suam Dignitatem, aut Curatum Beneficium, excludere coadjutorem. Enimvero neque vacat Dignitas illa, vel Beneficium, neque coadjutori attribuitur successio, nisi per solam Summi Pontificis dispensationem.

XXII. Coadjutor Episcopo providetur non valenti exercere ob senectutem

autem, vel ob diutinam aegritudinem, aliamve seu corporis, seu animi impotentiam. His casibus Episcopus invalidus & Capitulum simul coadjutorem à Pontifice postulabunt, præterquam in casu amentiae, in quo id officium ad solum Capitulum spectabit. Sed si Episcopus mente quidem sanus, sed corpore omnino infirmus, nec potest exercere, nec sibi coadjutorem dari consentit, tunc ne detrimentum patiatur Ecclesia, ad solius Capituli petitionem Papa providebit, aut etiam ad Metropolitanæ petitionem, cap. *Ex parte*, de Cler. ægrot. Coadjutor autem cum jure futuræ successionis non datur in Gallia Regno, nisi sit à Rege nominatus, juxta Concordata.

XXIII. Inferioribus quoque Clericis, quibus aliqua Cura vel Officium incumbit, de coadjutore providere debet Ordinarius, si suo munere defungi in futurum non possint, cap. *Ex parte*, cap. *De Recloribus*, & cap. ult. de Cler. ægrot. sed ut dixi, istiusmodi coadjutoribus spes futuræ successionis non potest ab Ordinario indulgeri, nisi à solo Papa, cap. *Nulla*, cap. *Relatum*, & cap. fin. de concess. præbend. Coadjutori demùm moderati sumptus & victus ita providendi sunt, ut totum reliquum fructuum Prælato aut Beneficiario invalido remaneat, cap. 1. de Cler. ægrot. & cap. unico, in fine, eod. tit. in 6.



C A P U T XIV.

De Literis Dimissoriis, & quarum Literarum valor aut concessionum perpetuus sit, aut ad solam limitetur concedentis vitam.

I. **O**RDINARI, aut etiam Tonsuram sumere Clericalem nemo potest nisi de manu proprii Episcopi, aut de ejus licentia Literis Dimissoriis expressa. Si secus fiat, Ordinans à Pontificalibus, & collatione Ordinum per annum suspensus erit; Ordinatus verò à susceptorum sine hac venia Ordinum executione ipso facto, quando proprio Ordinario videbitur expedire, manet pariter suspensus ex Decreto Concilii Tridentini sess. 14. cap. 2. & sess. 23. cap. 8. de reform. Quisquis igitur sic tonsuratus, vel ordinatus est, non potest ab hac suspensione solvi, nisi ex arbitrio proprii Episcopi. Existimat Rebuffus in praxi, tit. *Formula dimiss. liter.* num. 5. & 11. non sufficere ad hujus suspensionis absolutionem, veniam ac remissionem proprii Episcopi, sed esse præterea necessarium Summi Pontificis rescriptum. Quam opinionem tenet

tenet quoque Navarra loquens de irregularitate. Verum quoad suspensionem Concilium Tridentinum nihil requirit, nisi proprii Episcopi dispensationem: & licet Sixtus V. in Bulla incipiente, *Sanctum & salutare*, hanc sibi reservaverit absolutionem; revocavit tamen Sixti Bullam istam Clemens VIII. per suam Bullam quæ incipit, *Romanum Pontificem decet*. Quoad verò irregularitatem, quam is qui hanc incurrit suspensionem, potuit contrahere exercendo Ordinem ita susceptum ante obtentam proprii Episcopi veniam, seu absolutionem, distinguendum est: aut enim illa irregularitas est occulta, & tunc potest proprius Episcopus ab ea dispensare ex generali concessione Tridentini Concilii sess. 24. cap. 6. de reform. aut illa irregularitas est notoria, quo casu necessarius est ad Papam recursus. Ita docet Bonacina tract. de suspensionibus in particulari, disp. 3. quest. 1. puncto 11. num. 28. Istaque est vera, & communiter recepta doctrina. Erit verò occulta illa irregularitas, si contractio, seu incurso præcedentis suspensionis non nisi paucis innotuerit, quanvis illa Ordinis executio publicata fuerit.

II. Quatuor casibus necesse non est ad Ordinationem habere proprii Episcopi Dimissorias. Primus contingit in Episcopo qui sit suspensus, eo quòd alienum subditum sine Dimissoriis requisitis ordinaverit, cap. *Eos qui*, de tempor. ordin. in 6. Equum enim est, ut in quo quis deliquit, in eo puniatur. Idemque capitulum jubet, ut ordinandi recurrant ad viciniore Episcopos. Hoc idem extendendum est contra quoscunque Episcopos quacunque censura irretitos. Sed requiritur ut censura contracta ab Episcopo cognitio sit publicè nota vel per evidentiam facti, vel per iudicis sententiam. Secundus casus est in eo qui privilegium à Pontifice impetravit, ut possit à quocunque Episcopo ordinari: quo casu licet non requirantur à proprio Episcopo Dimissoria, requiruntur tamen ab eodem Literæ testimoniales de vita & moribus, sub iisdem pœnis, ut constat ex Concilio Trident. sess. 23. de reform. cap. 8. in fine. Tertius casus statuitur in Concilio Trident. sess. 23. cap. 6. de reform. *Episcopus (inquit) familiarem suum non subditum ordinare non possit, nisi per triennium secum fuerit commoratus, & Beneficium, quacunque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat*. Hoc verò sciendum de statim conferendo Beneficio, cum idè sit appositum, ne ordinatus ob inopiam cogatur victum suum mendicare, nullius esse obligationis hanc conditionem, si ordinatus sit provivus sufficienti patrimonio vel pensione; sic enim sufficere Episcopo si familiarem triennalem ordinet ad titulum patrimonii vel pensionis, ut post Flaminium Parisium, Barbosam, Garziam, & alios docet Bonacina d. disput. 3. quest. 1. punct. 11. num. 11. Quartus denique casus occurrit, dum vacat Sedes Episcopalis; potest enim Capitulum, completo primo vacationis anno, subditis diocesanos Literas expedire Dimissorias ad Ordinationes. Quinciam cum quis arctatur ad Tonsuram, vel ad Ordines, sive majores,

I. 3. sive

sive minores, occasione Beneficii, sive suscipiendi, sive jam suscepti, Capitulum potest etiam intra primum vacationis annum concedere hac occasione per Vicarium à se electum Literas Dimissorias. Hæc statuit Concilium Trident. sess. 7. cap. 10.

III. Debet primum à proprio Prælato examinari, & ut idoneus approbati is qui Dimissorias petit, antequàm hæc illi concedantur, ut præscribit Concilium Trident. sess. 23. cap. 3. de reform. idque ipsum debet Prælati in suis Literis Dimissoriis exprimere: sua namque interest multum, utpote de proprio subdito, quem dimittit, coram Deo responsuri. Et ubi quis dimissus est sine sufficienti patrimonio, non tenetur Episcopus ordinator, sed Episcopus dimittens, ipsi de victu sufficienter providere ad totam vitam, cap. *Si Episcopus*, de præbend. in 6. Ipse quoque Ordinator jus habet examinandi dimissum, quantumvis de capacitate, & à se facto examine fidem faciat in dimissoriis Ordinarius dimittens. Imò verò etiam alienos & ad se dimissos Clericos ordinato prævium & diligens examen injungit Concilium Trident. sess. 7. cap. 11.

IV. Si qua pariter videatur concedenda Episcopalis dispensatio, qualis est ab interstitiis, opus est ut in Dimissoriis exprimat. Quod idem statuendum de dispensatione illegitimè nati ad minores Ordines, aut ad Beneficium simplex.

V. Vicarium generalem non posse Dimissorias ad Ordines Literas dare, nisi hoc specialiter Episcopus ei concesserit, traditum est capite superiori. Capituli autem potestatem circa Dimissorias expendimus isto capite, num. 2. ad finem. His adde, Capitulum Sede vacante ad effectum suscipiendi aliquod Beneficium, posse in casibus Episcopalibus dispensare, atque adeò ab irregularitate orta ex defectu natalium illegitimos. Ita docent Abbas in cap. *Cum olim*, num. 2. de majorit. & obedient. Navarra conf. 28. & 30. de tempor. ordinat. Federicus de Senis conf. 3. 4. & 30. Geminianus in cap. *Cum ex eo*, num. 7. de elect. in 6. Pafecius in praxi Episcop. p. 1. cap. 1. art. 2. num. 10. Capitulum enim Sede vacante regulariter succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi, nisi in solis casibus à Jure expressè prohibitis? ideoque potest similiter in Dimissoriis ab interstitiis dispensare. Bonacina de suspensionib. in particul. disp. 3. quest. 1. punct. 4. §. 2. num. 5. Extra præfatos casus si Capitulum concedat Dimissorias, incurreret Ecclesiasticum interdictum, ex Concilio Trident. d. sess. 7. cap. 10. Aliæ verò singulares personæ attentantes dare Dimissorias in casibus prohibitis, ipso facto ab Officio, & Beneficiis per annum efficiuntur suspensæ, ut idem Tridentinum decernit sess. 23. cap. 10.

VI. Superiores Regulares concedunt sibi subjectis Religiosis Dimissorias: habent enim in suis Monasteriis Episcopalem jurisdictionem. Tenentur verò servare formam à Clemente VIII. his verbis præscriptam: *De mandato S. D. N. Clementis Divinâ Providentiâ Papa VIII. tenore præsentium*

etiam mandatur omnibus & singulis quoruncunque Regularium Superioribus, ut de cetero observent, & observari faciant ea quae in Decreto Sacrae Congregationis Concilii Tridentini continentur, cujus tenor est talis: Congregatio Concilii Tridentini censuit Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui praedictis praedictis qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, Literas Dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diocesenum, nempe illius Monasterii in cujus familia ab iis ad quos pertinet, ille Regularis postius fuerit. Et si Diocesanus abfuerit, vel non sit habiturus Ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dummodo ab eo Episcopo qui Ordines contulerit, examinentur quoad doctrinam, & ipsi Regulares non distulerint de industria concessionem Literarum Dimissoriarum in id tempus, quo Episcopus Diocesanus vel abfuturus, vel nullas esset habiturus Ordinationes, vel Sedes Episcopalis vacaret. Verum cum à Superioribus Regularibus, Diocesano absente Episcopo, vel Ordinationes non habente, Literae Dimissoriae dabantur, in eis utique causam absentis Diocesani Episcopi, vel Ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse: quod si Regulares ordinandi morentur in Monasterio nullius Diocesis, huiusmodi concedendas esse Dimissorias ad Episcopum viciniorum: in eoque procedere omnia quae de Episcopo Diocesano superius praescripta sunt. Quod qui non fecerint, Officii, & Dignitatis, sive Administrationis suae, & vocis activa & passiva privationis, ac alias arbitrio ejusdem Domini nostri Sancti Papae reservatas poenas incurrant. Datum Rome, die 15. Martii, anno 1596. Ista Clementis VIII. Constitutio conformatur antiquo & communi Juri in cap. Cum nullus, §. Religiosi, de tempor. ordinat. ubi Episcopus Ordinationis Regularium alleritur ille, in cujus Diocesi situm est Monasterium, in quo veretur ordinandus. Concilium porro Trident. d. sess. 23. cap. 10. Abbates & quoscumque alios Superiores Regularium, quantumvis exemptos, aliis quam sibi subditis Religiosis Dimissorias concedentes, decernit esse ipso jure suspensos per annum ab Officio & Beneficio.

VII. Queritur an Literae Dimissoriae expirent per obitum concedentis, aut per ejus ab Officio dimissionem? Negant Doctores communiter definire. Rebuffus in praxi, tit. *Forma Dimissoriarum*, circa finem, postquam anceps animi utramque in partem vacillavit, tandem num. 47. concludit non definire. Consentiant Ancharanus in cap. 1. in fine, ne Sede vacante, Federicus de Senis consil. 16. verb. *Capitulum*: Navarra in cap. *Placuit*, num. 34. & 162. de Penit. dist. 6. Zerola p. 1. tit. *Dimissoriae*, num. 9. Azorius p. 2. lib. 3. cap. 49. num. 5.

VIII. Mors quidem omnia solvit, §. *Deinceps*, in Authent. de nuptiis, collat. 4. Et mandatum finitur morte mandantis, l. *Mandatum*, C. mandati. Id tamen non impedit, ne pleraeque concessionem valeant eo etiam mortuo qui concessit, donec à successore revocentur. Est enim communis paulò antè allegatorum Doctorum sententia, & aliorum, quam etiam firmat passim Ecclesiarum consuetudo circa Dimissorias. Hujus quoque generis sunt

sunt, illimitata facultas Confessiones audiendi: item à casibus ac censuris reservatis absolvendi, & à votis dispensandi concessio: licentia non residendi propter studium, Missas in ædibus privatis celebrandi, Indulgentiarum concessio, & quæcunque aliæ non restrictæ ad concedentis vitam. Potest tamen successor prædictas & similes gratias revocare, sive per generalem, sive per specialem revocationem: idque docet cap. *Si gratiose*, de rescript. in 6. his verbis: *Quia Sedes ipsa non moritur, gratia durabit perpetuo, nisi à successore fuerit revocata.*

IX. Legati quoque Statuta in suo robore perdurant finitâ Legatione. Jurisdictio autem ejus, quem subdelegavit, desinit finitâ Legatione. Sed si jam antea facta fuerat citatio, durabit etiam finito Legationis tempore inchoata jurisdictio, donec ad definitivam sententiam processum fuerit, cap. fin. de offic. Legat.


X. In penalibus autem aliter statuendum juxta regulam Juris: *Odis restringi, favores convenit ampliari.* Atque ita censura nondum incurfa nullatenus ligare possunt, mortuo, vel ab officio soluto Prælato, qui eas decreverat. At verò si quis durante illius Prælati jurisdictione in censuram ab eo latam incurrisset, nec obtinisset ejus absolutionem, permanebit alligatus etiam postquam ejus desierit, sive per abdicationem jurisdictio. Huic doctrinæ locus est in censuris particularibus, quæ à Prælato tanquam ab homine, seu giudice latæ fuerunt. Nam censura quæ à Prælato tanquam Legislatore generaliter decretæ fuerunt, quales continentur in Statutis & communibus Constitutionibus, perpetuam vim habent donec contrario jure, vel desuetudine aboleantur; sicut Leges astringunt populos etiam è vivis exempto Legislatore. Ita docet Glossa in cap. *A nobis*, 1. de sentent. excommunic.

XI. Casuum quoque ab Episcopo facta reservatio inter odiosa censetur: ideoque reservatio Prælati morte, vel amotione ab officio desinit. Si tamen facta fuerit reservatio per Synodalem deliberationem, vim habebit Statuti, nec extinguetur morte, vel amotione Prælati. Zerola p. 1. tit. *Cases reservati*, num. 4.



C A P U T X V.

De officiis & potestate Legati, & Delegati.

I.  EGATI & Delegati commune hoc habent, ut Superioris, à quo constituti sunt, vicem gerant. At in eo differunt, quod Legatus solus is dicitur qui est à Papa constitutus, Delegati verò appellatio communis est, tum constitutis à Papa Judicibus, tum etiam

etiam iis quos inferiores Prælati sui vice subdelegant. Præterea Delegati plerumque constituuntur ad procedendum in causa aliqua particulari: qua in re differunt à Legatis Papæ, & à Vicariis Generalibus Episcoporum, quibus impertitur generalior iurisdictio.

II. Legatorum Papæ tres distinguit differentias Glossa in cap. 1. de offic. Legat. in 6. Prima est Legatorum à Latere, quos Papa eligit de suo Senatu. Hi sunt Cardinales missi cum potestate in Provincias, quorum præcipua est dignitas & potestas. Alii eliguntur ex inferiori Ordine, ut sunt Nuncii Apostolici in Provincias transmissi. Alii dicuntur Legati Nati, qui aliqua dignitate insigniuntur, cui coheret jus aliquod Apostolici Legati, ut dicitur de Cantuariensi Archiepiscopo in cap. 1. de Offic. Legat. & de Archiepiscopo Eboracensi, cap. 1. de appellat. Et communiter omnibus Episcopis pleraque tribuuntur tanquam Apostolicis Delegatis Natis, non verò ex speciali commissione.

III. Legatis à Latere multa competit potestas ipso jure, quæ plerumque etiam augetur in eorum Mandato, seu Literis Apostolicis. In hoc verò conveniunt cum veterum Romanorum Proconsulibus, qui cum pleno imperio ad regendas provincias mittebantur, quòd sicut olim Proconsules ab egressu pomerii Romanæ urbis usque ad reditum Fasces, Lictores, Infulas, & alia Imperii insignia retinebant, ex Dione lib. 53. & ipsum quoque Imperium, sed otiosum extra commissam sibi Provinciam, ut docet Cujacius lib. 20. Observationum, cap. 37. nisi quoad iurisditionem voluntariam, quam solam in itinere exercebant, ex l. 1. 2. & final. D. de offic. Proconsul. & constat ex Plinio lib. 7. epist. 16. & penult. Sic Legatis à Latere simul atque Romæ egressi sunt, Cruces, & cætera Apostolica Dignitatis insignia præferuntur, nec antequàm redierint ea deponunt: autoritatem quoque habent eò usque efficacem, ut absolutiones casuum & censurarum omnium, & alia ad forum conscientia pertinentia in itinere exercere possint, cap. *Quod translationem*, & cap. *Excommunicatis*, de offic. Legat. & cap. *Ad eminentiam*, 20. de sentent. excommun. Idcirco præclare Clemens Papa IV. Legatos à Latere præcis Romanorum Proconsulibus æquiparat, cap. *Legatos*, eod. tit. in 6. Cùm tamen ceteri Apostolici Legati, neque insignibus utantur, neque quidquam possint extra provinciam sibi commissam, d. cap. *Excommunicatis*, hoc tit. & cap. *Mandata*, de præsumptionib. & cap. *Cum dilecti*, 18. de accusat. & can. 1. distinct. 94.

IV. Legatorum à Latere, & Nunciorum Apostolicorum, & quorumcunque à Sede Apostolica cum iurisditionis potestate missorum non durat Legatio ultra tempus illis à mittente præfinitum. Morte tamen ejus Pontificis à quo missi sunt, non expirat: quia non tam ab eo, quàm à Sede Apostolica missi intelliguntur, cap. 2. de offic. Legat. in 6. & cap. *Si gratiose*, de rescript. in 6. Sedes enim ipsa non moritur, can. *Liberti*, 12. quæst. 2.

Ac ne ipsorum quidem Legatorum mors aut decessus ea statuta extinguit, quæ tempore Legationis suæ fecerint, cap. fin. de offic. Legat.

V. Legati à Latere possunt in provincia Legationis suæ conferre Beneficia; id verò cæteris Apostolicis Legatis non permittitur, cap. 1. de offic. Legat. in 6. Eadem ratione possunt Legati à Latere, non verò cæteri Apostolici Legati, resignationes admittere, cap. *Deliberatione*, §. *Prohibemus*, de offic. Legat. in 6. Abbas in cap. fin. num. 4. de renunciation. Ancharanus in cap. *Dilecto*, num. 2. de præbend. Joan. Andreas in d. cap. *Deliberatione*, num. 1. de offic. Legat. in 6. Rebuffus in praxi, tit. de resign. condition. num. 5. Parisius lib. 7. quæst. 13. num. 15.

VI. Hinc excipe collationes, aut resignationes conditionatas; ad istas quippe nec Legati à Latere ullam habent potestatem citra speciale Papæ mandatum. Abbas in cap. *Accepimus*, de pactis. Felinus in cap. *Ad audientiam*, de rescript. Navarra Manualis cap. 23. num. 107. vers. *Ad secundum*. Rebuffus tract. de pacif. possess. num. 198. Boërius tract. de dignit. Legat. quæst. ult.

VII. Potest Legatus à Latere conferre Beneficia juris patronatus, non quidem Laici, sed Ecclesiastici, etiam inconsulto Patrono, cap. *Dilectus*, de offic. Legat. & cap. *Cum dilectus*, de jure patron.

VIII. Legati à Latere non possunt transferre Prælatos, cap. 1. de translation. Episcop. & cap. *Quod translationem*, de offic. Legat.

IX. Collatio Legati à Latere nulla est, ubi non fit mentio Beneficiorum cæterorum quæ provivus possidet, cap. fin. de offic. Legat. in 6. Clement. unica, de offic. Ordinar. quemadmodum nulla est Papæ collatio sine tali mentione, cap. *Ad aures*, & cap. *Cum aded*, de rescript. cap. *Non potest*, de præbend. in 6. Non enim major est potestas aut jus delegati quam delegantis, præsertim cum talis potestas sit odiosa, utpotè facta in diminutionem potestatis Ordinariorum.

X. Quod verò attinet ad Delegatum, hoc sciendum, Delegatum Principis non agnoscentis sibi Superiorem, ut est Papa, Imperator, Rex, posse Subdelegare, ut omnes Canonistæ docent juxta cap. fin. de offic. Judic. delegat. aded ut cæteri cum illo delegati non possint procedere sine ejus Subdelegato, d. cap. fin. Non potest tamen in aliquibus subdelegare casibus. Primò quando sibi delegatum est nudum ministerium, d. cap. fin. §. ultim. ut fit quando aliqua executio sine jurisdictione demandatur à Papa vel Principe. Secundò non potest Delegatus subdelegare quando electa est singularis personæ delegata industria, ut quum alicui Papa mandavit fieri inquisitionem, & Ecclesiis de Ministris idoneis provideri, d. cap. fin. §. *Is autem*. Colligitur autem fuisse electam personæ industriam, quando designatur proprio nomine, & non sola Dignitatis vel officii expressione.

XI. Ubi verò commissio, seu delegatio facta fuit dignitati, non expresso

expresso proprio nomine, transit delegatio ad successorem ejus, cap. *Quoniam Abbas*, de offic. Jud. deleg.

XII. Morte delegantis an expiret delegati jurisdictio, necne? Distinguendum est; si enim adveniente delegantis morte res adhuc integra est, sit caduca & irrita delegatio: Sed si jam facta fuerat per delegatum citatio ante delegantis obitum, non expirabit per ejus mortem delegatio, cap. *Relatum*, & cap. *Gratum*, eod. tit. Guido Papæ quæst. 421. num. 2. alique communiter.

XIII. Sæpè causam committit Sedes Apostolica duobus, vel pluribus Delegatis, cum clausula, ut si ex duobus, vel pluribus aliquis interesse nequiverit, alter, seu reliqui in causa procedant: & isto casu necesse est prius constare de absoluta Delegati impotentia, aut eundem prius suam non procedendi voluntatem significasse, quàm liceat reliquis delegatis sine eo procedere, vel exequi, alioqui nihil & inaniter agent, cap. *Prudentiam*, eod. tit. Quod si absolute, & sine prædicta clausula plures in eadem causa Delegati sint, aut in plures arbitros à Partibus, vel per Judicis decretum compromissum fuerit, nec in compromisso aliud fuerit expressum, morte unius delegatorum, vel arbitratorum expirat reliquorum potestas, cap. *Uno delegatorum*, eod. tit.

XIV. Delegatus à Papa sententiam suam exequi potest intra annum, eoque elapso non potest, cap. *Quarenti*, eod. tit.

XV. Delegatus à Papa, qui subdelegavit in totum, potest re integra, hoc est si Subdelegatus non processerit, sibi causam reassumere, cap. *Quavis alieni*, de offic. Deleg. in 6. Si Delegatus subdelegavit quoties abesset, vel donec revocaret; & mortuus sit re non integra, potest subdelegatus procedere, ex quo jurisdictio uti ceperit vivente adhuc delegante, & inchoatum processum proseguere. Porro à subdelegato appellatur etiam post ejus definitivam sententiam ad subdelegantem, si hic sibi aliquid de jurisdictioe reservaverat: at si subdelegaverat in totum, jam non ad subdelegantem, sed ad delegantem, id est ad Papam, devolvitur appellatio, cap. *Si delegatus*, eod. tit. in 6.

XVI. Delegatus debet in citatione designare locum Auditorii sui, & præterea inferere tenorem rescripti, seu Literarum suæ delegationis; alioqui non tenebitur pars citata comparere. Innocentius & Ostiensis in cap. *Præterea*, de dilationib. Guido Papæ quæst. 445. Zerola 1. p. praxis, verb. *Delegatus*, num. 4.

XVII. Multa præcipiuntur, & prohibentur Delegatis sub poena nullitatis eorum, quæ in contrarium attentaverint, cap. *Statutum*, de rescript. in 6. Et Ordinarius potest providere, si quis à Delegato gravetur contra dispositionem d. cap. *Statutum*, ut docent Joannes Andreas & Geminianus in idem caput, & Zerola loco cit. in fin. Ubi notat pariter ex Capella Tolof. quæst. 423. & ex Cino in Auth. *Qua in provincia*, C. ubi de crim.

agi oport. posse ab Ordinario loci puniri Delegatum à Papa, si in suo officio delinquat, si nimirum excederet fines mandati, ac procederet in casu non incluso in sua commissione: item si vellet procedere vel exequi non exhibita sua commissione. Zerola ibid.

XVII. Concedit etiam Sedes Apostolica aliquibus Conservatores, ut eos à manifestis injuriis, & violentiis tueantur. Isti verò non possunt subdelegare, aut suas vices committere, nisi hoc eis specialiter per Literas Apostolicas indultum fuerit. Possunt tamen committere ad citandum & intimandum partibus sententias suas. Neque possunt quemquam ultra diem à fine Diocesis trahere, nec nisi de manifestis injuriis aut violentiis cognoscere: alioquin non solum eorum processus irriti erunt, sed etiam ipso facto suspensi erunt per annum ab officio, & per consequens à Beneficio: & Pars quæ hoc procuraverit, incidit in excommunicationem, cap. *Hac constitutione*, cod. tit. in 6.



C A P U T XVI.

De Coadjutoribus Prælatorum.

I. **D**UPLEX potest esse causa providendi Episcopo Coadjutorum per Supremam Sedem, nimirum incapacitas ad omnia Episcopalia officia (qualis est, exempli gratia, incapacitas illa quæ provenit ex furore ac dementia) vel tantummodò incapacitas ad particularia officia, qualis provenit ex decrepita ætate, ex cæcitate, ex paralyti, ex alio incurabili morbo, sine detrimento usus rationis. Porrò Coadjutor qui datur ob incapacitatem tantum particularem, habet limitatam potestatem ad sola ministeria, quorum Episcopus impos & incapax est, nisi iste velit Coadjutorem delegare ad ea quoque, circa quæ capacitate pollet, prout libuerit, sive in totum, sive in partem. Sed qui constitutus fuit Coadjutor ob universalem Episcopi incapacitatem, plenitudine fruatur potestatis, ita ut si sit consecratus, possit per seipsum omnia Pontificalia exercere, cap. *Is cui*, de elect. in 6. Si verò non sit consecratus, poterit alium Episcopum circa ea quæ sunt muneris Pontificii delegare. Hæc omnia traduntur in can. *Qualiter*, & can. seq. & can. *Nihil*, in fine, & can. seq. 7. quæst. 1. item in cap. *De Rectoribus*, & cap. penult. & ult. de Cler. agrot.

II. Item Episcopo ab hostibus capto providet Papa de Vicario in temporalibus & spiritualibus, quandiu hoc durabit impedimentum, cap. *Si Episcopus*, de suppl. neglig. Prælatorum in 6. & Clement. 1. de foro. compet.

compet. Quod idem statuendum in cæteris quibuscunque impedimentis, siquando illa cessare contingat. Porro licet Vicarius per Episcopum constitutus careat potestate Beneficia conferendi, nisi id specialiter ab Episcopo exprimat; secus tamen judicandum de Vicario, quem Papa propter Episcopi captivitatem constituerit: potest enim durante captivitate conferre, præsentatos à Patronis instituire, atque illis quos Rex ad Beneficia nominaverit, necnon Universitatum Graduatæ, perinde ac si Episcopus adesset, providere. Rebuffus tract. Nominationum, quæst. 8. numero 44. & seqq.

III. Quoties etiam Coadjutor assignatus fuerit ob partiale, non verò ob totale Episcopi impedimentum, tunc non ipse, sed Episcopus jure potitur Beneficia conferendi. Sed si datus fuerit ob totale impedimentum, habet Coadjutor Beneficiorum collationem. Oldradus consil. 44. addens posse hoc casu per Coadjutorem committi, & ab eodem Literas sub proprio sigillo expediri. Idemque asserunt Joannes Deselya de Benefic. p. 2. quæst. 4. & Rebuffus loco cit. Licet enim Coadjutor immobilia non possit alienare, cap. 1. de Cler. agrot. in 6. & cap. *Is cui*, de election. in 6. hoc intelligi debet de alienatione libera, non de necessaria, qualis est Beneficiorum. Alioquin enim Ecclesiæ ex diuturna vacatione grave damnum sustinerent.

IV. Porro Coadjutor Episcopi cum futura successione, non potest ab alio, quàm à Papa provideri. Quin etiam in hoc Regno consensus Regis requiritur, propter jus quod habet nominationis ad Episcopatus Regni.

V. Episcoporum potestatis simul & officii est provisio Coadjutoris Parochorum, & Archidiaconorum jurisdictionem habentium, aliorumque Rectorum, quibus cura incumbit animarum, qui sunt à suo ministerio impediti: eoque casu potest Episcopus congruam assignare pensionem ad victum Coadjutoris à se provisum, cap. *De Rectoribus*, & cap. fin. de Cler. agrot. & cap. unico, in fin. eod. tit. in 6. Sed Episcopo similiter impedito non potest ab alio, quàm à Summo Pontifice attribui Coadjutor, ut dictum est, eique similiter attribuenda est pars de proventibus Episcopatus, d. cap. unico. Justum quippe est, ut illi consequantur stipendium, qui pro tempore suum reperiuntur commodare obsequium, can. *Charitatem*, 12. quæst. 2.



* C A P U T XVII.

De Vicariis in Gallia foraneis.

I. **R**ANCIGENÆ tam Laici quàm Clerici, dum intra Regnum versantur, minimè compelli possunt ad hoc ut extra Regnum litigent: id veò præsertim jus viget in Ecclesiasticis personis; hæc siquidem proprios & determinatos habere Judices intra Regnum debent. Et quidem antiquus & celeberrimus Præsul Gallicanus Hildebertus, primùm Cenomanensis Episcopus, deinde Turo-nensium Archiepiscopus, epist. 82. ad Honorium I I. Romanum Pontificem, graviter exostulat quantam morum in Clero depravationem invehat faci-lior ab Ordinariorum judiciis ad Sedem Apostolicam provocationum admis-sio, ad quam recurrere solent scandalosi omnes & incorrigibiles Clerici quoties à propriis Ordinariis intra limites officii coercentur. Ex quo etiam innasci necesse est ipsis Antistitibus pusillanimitatem & metum in perversis Clericis reprimendis & castigandis, à quibus nihil expectant præter odia, detractiones, calumniosas querimonias, & pecuniaria dispendia in sui apud Romanam Sedem defensione. Sic enim (ut alia exempla fileam) Apiarius Sacerdos Africanus admodum perversus & flagitiosus, dum suam excom-municationem ab Urbano Episcopo Siccensi justa de causa illatam, rescindi à Romano Pontifice, ad quem provocarat, satagit, tantopere suis frau-dibus & calumniis adversus Urbanum laudabilem Episcopum, Summum Pontificem concitavit, ut nationali totius Africæ Synodo mandaverit Urba-num ab Episcopatu dimoveri, vel excommunicari; cui tamen perspecta erat virtus Urbani & sanctimonia, sicut & imprudens Apiarii perversitas. Similes etiam querimonias sanctus Bernardus Clarevalensis Abbas passim iterat scribens ad Romanam Curiam & Summos ejus ætatis Pontifices, nul-latenus sacræ & universalis potestatis plenitudini obstitens, sed sapienter admonens de abusibus iniquorum appellantium, & indiscreta Curie cre-dulitate. Deinde in Pragmatica Sanctione, tit. *De causis*, in princ. tan-demque in Concordatis Bononiensibus inter Leonem X. Papam, & Fran-ciscum I. Galliarum Regem initis traditum est, personas Ecclesiasticas Regni à nemine posse extra Regnum in jus vocari.

II. Atque ideò quando interjicitur appellatio à sententia Officialis Gallicani, qui subest extraneo Metropolita, si Partes non conveniant de subeundo in partibus Regni Ecclesiastico Judice, à quo lis dirimatur, solent Curie Regni intra terminos proprii territorii Partes ad alterum Metropolitanum remittere, coram quo experiantur ut litigent. Id factum fuit

fuit à Senatu Parisiensi in appellatione mota de sententia Officialis Barrensis Gallicani, qui subest Trevirensi Archiepiscopo Germano. Ita iudicatum die 15. Aprilis, anno 1614. ut refert Brodeus ad Louetum lit. D. tit. 49. Qui ambo tradunt ex usu Gallicano creditores Gallicos nullatenus teneri bona immobilia debitorum sita extra Regni fines discutere. Quinetiam Bonifacius Papa I. susceptis gravium criminum accusationibus à Valentina Gallicana civitatis Clero & Populo adversus Maximum eisdem civitatis Episcopum, scripsit anno 419. ad Galliarum Episcopos, ut Synodum intra Galliam coegerent, in qua de Maximi accusationibus cognoscerent. Hujus epistolae meminere Anselmus, Burchardus, Ivo Carnotensis, & Gratianus cap. *Decernimus*, 3. quest. 9.

III. Ad hæc Senatus Parisiensis tutelam gerens privilegiorum Gallia, sancivit Martii 9. anno 1619. ne Generales Ordinum Regularium extra Regnum degentes Francigenas Regulares ad se citent, edixitque ab ipsis providendos esse intra Regnum Vicarios qui de causis Monachorum cognoscant & iudicent. Brodeus apud Louetum lit. D. cap. 49.

IV. Et in universum consuetudo invaluit, ut Episcopi extra regnum degentes constituent circa subjectas sibi in Regno sitas Ecclesias Vicarios foraneos regnicolas, ad quos Clerici Regni conveniant, ipsique Laici & Clerici in cunctis jurisdictionis Ecclesiasticae causis disceptandis. Id verò observari perspicuum est in locis Venaissino Comitatu vicinis.

V. Quæsitum est, utrum necesse sit ab hisce Vicariis delegatis sumere provisiones beneficiarias, aut ipsis exhibere Signaturas Apostolicasque literas, ab iisdem assumere capacitatis Clericorum examina, aliosve processus & decreta sumendæ possessionis. Verùm has praxes nullatenus agnovimus, saltem ubi Episcopus non est in remotis, & facilis ad eum patet accessus. Si tamen ille in his suum recusaret ministerium, tunc jure adiri posset Vicarius foraneus; ad hoc enim constituitur ut vices Episcopi non regnicola gerat. Ipsi tamen primarium officium versatur in litibus contentiosis, circa quas necesse est servari leges Regni, & non exterarum ditionum.]



CAPUT XVIII.

De Parochis.

I. **S**CIENDUM primò, quid sit Parochia. Est nimirum Ecclesia ad quam convenit Populus ad recipienda Sacramenta & audienda Sacra diebus festis; (quod intellige ex officio & primitiva institutione; cætera namque Ecclesie sunt posterioris & subsidiariae institutionis:) & in qua primitus constitutæ sunt sepulturae, &

& obligatio prædicandi verbum Dei, & docendi rudimenta Fidei, Clementina unica de Baptismo & ejus effect. cap. *Omnis utriusque sexus*, de pœnit. & remiss. cap. *Capellanus*, de feriis: & cui ex communi jure Decima debentur, cap. *Quoniam*, & cap. *Parochianos*, & cap. *Cum contingat*, de decimis. Consentiant Doctores, non dici Ecclesiam Parochialem hoc solo, quòd sit in ea fons Baptismalis, sed ad minus tria simul requiri, Fontem Baptismalem, Jura Sepulturae, & Curam fori Pœnitentialis & Sacramentorum.

I. Jus commune exigit ut unius Parochialis Ecclesiae unicus sit Parochus titularis, can. *Sicut*, 21. quæst. 2. quia ut ibi dicitur, unius Ecclesiae debet unicus esse sponsus. Reliqui verò Sacerdotes asciscuntur ut coadjutores, Rebuffus in praxi, tit. de non promot. intra ann. num. 69. Zerola 1. p. verb. *Parochus*.

III. Jure pariter communi debet esse Parochus stabilis ad vitam, & non amovibilis aut locatarius, quia Matrimonium spirituale, sicut & carnale, debet esse ad vitam & indissolubile. Quod ergo requiritur in Episcopo ut sit unicus, & non plures, & ad vitam, non verò ad certum tempus; exigitur quoque pari ratione in Parocho, cui sua desponsatur Ecclesia. Ideoque sic statuit canon *Præcipimus*, 21. quæst. 2. *Præcipimus, ne conductitiis Presbyteris Ecclesie committantur, & ut unaqueque Ecclesia, cui facultas suppetit, propriam habeat Sacerdotem*. Et cap. *Veniens*, de fil. Presbyt. Alexander Papa III. mandat Londonensi Episcopo, ut restituat Sacerdoti Ecclesiam, ad quam illum ordinaverat, & ex qua postmodum illum expulerat sine ejus culpa, licet ob quendam defectum non debuisset ab initio illi Ecclesiae præfici. Et desumptus ex S. Gregorio Pontifice canon *Satis perversum*, dist. 56. *Satis perversum* (inquit) & contra Ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorundam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officio, quo surgitur, gradu non dejicit. Atque ista est mens Concilii Tridentini sess. 21. cap. 6. prohibentis removeri Parochos ob eorum imperitiam, si alioqui honestè vivant; sed jubentis ut eis Coadjutores, & Vicarii deputentur. His suffragatur Gallicana Constitutio Ludovici XIII. anni 1629. art. 12. jubentis ut Parochiarum aliis Ecclesiis unitarum Rectores titulum habeant Vicariatus perpetui. Hoc viguit institutum ab exordiis Ecclesiae: prohibent enim Canones Apostolorum 16. & 17. & Nicæni Concilii canon 15. & Chalcedonenfis canon 6. & Arelatensis I. canon 1. Sacerdotes ab una Ecclesia in aliam commigrare. Eodem spectant canon *Non oportet Episcopum*, 7. quæst. 1. & canon *Neminem absolute*, dist. 7. ut observavi in nostra Notitia Conciliorum.

IV. Ut animarum curæ præficiantur, quàm maximè fieri potest, idonei Pastores, providit Concilium Trident. sess. 24. cap. 18. de reform. ut cum Parochialis Ecclesiae vacatio contigerit, statim ac Ordinarius notitiam vacationis habuerit, Vicarium seu Oeconomum cum congrua ejus arbitrio

arbitrio fructuum portionis assignatione constituat, qui onera ipsius Ecclesie sustineat, donec de Rectore provisum fuerit. Idemque Ordinarius Edictum publicum ad valvas Ecclesie Cathedralis ac Parochialis vacantis intra triduum affigat, quo vocentur omnes qui examinari vellent, transacto constituto tempore; atque omnes qui ad concursum venerint, praestituto die se sistant coram Ordinario & Examinatoribus in Synodo constitutis, non paucioribus quam tribus: & qui Examinatorum iudicio magis idoneus reperietur, Ecclesie vacanti praeficiatur. Caveant autem concurrentes, ne quidquam prorsus huius occasione, sive ante, sive postea Examinatoribus dent, neque isti accipiant, alioqui simoniae vitium utrique incurrunt, à quo non absolventur nisi dimissis Beneficiis quae antè habebant, & sunt inhabiles ad futura. Ita Concilium loc. cit. §. Caveant.

V. Ista verò servari debent non tantum in vacatione per obitum, sed etiam per resignationem. Concilium enim utitur verbo generali *Vacationis*, & urget eadem utroque ratio salutis animarum. Quae verò sit resignatio in manibus Ordinarii, non potest esse in favorem certae personae. Sed si contingat resignari in manibus Papae, aut, si aliter Papa de certa persona providerit, eo casu cum cesset libertas ad concursum, sufficit si factò debito examine Clericus ita provisus iudicetur idoneus, ut fuisse à Sacra Congregatione Romae declaratum testificatur Zerola in *Praxi*, t. p. verb. *Parochia*, vers. *Sextum dubium*.

VI. Officium Parochi ad omnia extenditur, quae animarum sibi subditarum salutem, & Ecclesiae sibi commissae ministerium & decorem spectant. Debet itaque singulis saltem diebus Dominicis praedicare ad populum de rebus Fidem, & morum integritatem, & pietatis officia concernentibus. Item pueros & rudiores personas Fidei rudimentis informare. Item Sacramentorum usum, dies Festos, & indicta jejunia exponere. Pauperum etiam, & orphanorum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere: Omnibus vitae, bonorumque operum exemplo praelucere: Vitia publica & privata, praesertim blasphemias, concubinatus, & usuras prudenter corrigere: Festorum quoque violationes inhibere, lites componere, odia conciliare. Eos etiam qui in Paschate non communicant observare, & admonere. Numerum animarum Parochiae habere descriptum, pro quibus Deo rationem est redditurus. Libros insuper habere, unum quidem Baptismorum cum expressione diei suscepti Baptismi, & parentum, & patrinorum: alterum Confirmatorum: tertium Matrimoniorum: quartum Mortuorum in sua Parochia. Magnam quoque sollicitudinem gerat aegrotantium & morti proximorum. Statuta Synodalia, & visitationum Decreta diligenter observet.

VII. Potest Parochus secundum aliquos Authores, extra Diocesim ubique gentium audire confessionem sui parochiani, eumque absolvere,

L non

non h. à Ordinarii loci approbatione. Sylvester verb. *Confessor* 1. num. 12. Armilla verb. *Confessio*, num. 34. Geminianus in cap. 2. §. *Statuto*, num. 58. de Constitut. in 6. Ancharanus in cap. *Ea quæ*, num. 2. de regul. jur. in 6. alique communiter.

VIII. Oblationes quæ fiunt in Ecclesia Parochiali acquiruntur Parocho: Sylvester verb. *Decima*, Angelus verb. *Ecclesia*, Abbas in cap. *Nimis*, num. 3. de excess. Prælat. & in cap. *Pastoralis*, num. 2. de his quæ fiunt à Prælat. Edictum Blesense art. 51. & Edictum Melodunense anni 1580. art. 27. oblationum jura omnia Parochis Gallicanis attribuunt. Distingendum tamen cum Laurentio Bochello in annot. ad Collationes Regiarum Constitutionum, lib. 1. tit. 6. sub finem: Oblationum enim quædam offeruntur super Altari, aut dantur in Offertorio ad Missarum solennia; & Regni consuetudo has omnes Parocho assignat. Aliæ oblationes parietibus Ecclesiæ appenduntur, aut in capfas, vel in discos extra Missarum solennia immittuntur; & istiusmodi Ecclesiæ reparationi & cultui addici solent, teste ibidem Bochello. His suffragatur Zerola part. 1. verb. *Parochia*: & part. 2. verb. *Oblationes*. Idemque utrobique dicit, oblationes, quæ in aliis Ecclesiis non Parochialibus apponuntur, pertinere ad earum Rectores.

IX. Decimæ ex novalibus nunc primùm debitæ pertinent ad Parochum, ejusque redditibus accrescunt, ut docet Bochellus in Summa Beneficiorum, verb. *Dismes*, cap. 3. refertque pleraque Curiarum Regni judicia hoc jus Parochorum confirmantia, & ita passim servari perspicimus. Dicitur autem Novale in Jure Canonico, ager de novo ad culturam redactus, de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuisset, cap. *Quid per novale*, de verb. signif. Si tamen antequam ager coleretur, jam erat decimis obnoxius, tunc nihil Parocho acquiritur præter actionem quæ potest ei competere adversus Rectorem seu Præbendam ad augmentum congruæ portionis, si occasione novæ culturæ onera Parochi accrescant, ut ibidem dicit Bochellus. Quinimodò non sola Gallicana consuetudo, sed Jus ipsum commune hoc idem statuit in novalibus in gratiam Parochorum, cap. *Cum contingat*, de decimis. Ad hoc enim institutæ sunt decimæ, ut sint in stipendium laboris & ministerii Ecclesiastici, dicente Apostolo: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si carnalia vestra metamus?* 1. Cor. 9. vers. 11.

X. Notanda est Ludovici XIII. Constitutio anni 1629. art. 12. sic edicens: *Les Cures qui sont à present unies aux Abbayes, Prieurez, Eglises Cathedrales ou Collegiales, seront dorénavant tenues à part en titre de Vicariat perpetuel, sans qu'à l'avenir lesdites Eglises puissent prendre sur icelles Cures autres droits qu'honoraires, tout le revenu demeurant au Titulaire, si mieux lesdites Eglises & autres Benefices dont dependent lesdites Cures, n'aiment fournir ausdits Curez la somme de trois cents livres par an.* Hic tria præsertim observa:

observa : primum debere Parochos esse stabiles & confirmatos ad vitam. Præterea congruam eorum portionem annuatim tribuendam esse librarum trecentarum, præter oblationes & casualia stipendia. Denique Ecclesiis quibus unitæ sunt Parochiæ, deberi in Ecclesia Parochiali jura honoraria, quæ Rex idem in tribus consistere postea declaravit : in primis, ut Ecclesiæ illæ principales, quibus unitæ fuere Parochiales Ecclesiæ, habeant nomen Curæ Primitivæ : secundò ut habeant jus præsentandi quem libuerit ad illas vacantes Curas : tertio demùm, ut præfata Ecclesiæ possint intra Parochialem Ecclesiam Missarum solennia celebrare quatuor præcipuis Festis anni, & die Patroni ejusdem Ecclesiæ Parochialis. Hæc legitur Constitutio in tomo 3. Actuum Cleri Gallicani.

XI. Cavetur per Concordatum Bononiense inter Leonem Papam & Franciscum Regem, & deinde per Edictum Henrici II. mensis Martii anni 1551. ne quis intra urbes, & oppida murata Parochus constituatur, nisi in Theologia, vel sacris Canonibus sit Graduatus.



CAPUT XIX.

*Ecclesiæ & Clericorum immunitates quædam,
& jura recensentur.*

I. **I**MMUNITATUM Ecclesiæ, & Cleri, quædam sunt Divini, quædam humani Juris. Quæ Divini Juris sunt, immutabiles sunt & indispensabiles, neque ullis hominum contrariis usus, aut præscriptionibus temporum convelli, aut labefactari possunt. Quæ verò sunt humani Juris, aut merè Ecclesiastici, possunt in contrarium longi temporis præscriptione diminui, vel aboleri. Sed quædiu usu vigent, nec prævaluit opposita legitimi temporis consuetudo, nemo potest his privilegiis derogare citra gravem Dei offensam, suæque animæ perniciem. Istud quod dixi, commune est cum omnibus quorumcunque hominum juribus merè civilibus, quorum possessio durat, ut non sine iniuria, & gravi peccato aliquis ea infringat, etiamsi alioqui possint demùm per non usum deperdi. Sed in Ecclesiæ privilegiis, quæ non divinum, sed humanum Jus introduxit, si quis illa nondum longâ temporis præscriptione abolita convellere aut violare intendat, tantò gravius adversum se judicium Dei provocat, quantò gravior est iniuria, quæ sacrilegio conjuncta est. Ex præmissa distinctione jus elucescit, aded ut qui de his Ecclesiasticis immunitatibus disceptantes non discernunt

L 2 quæ

quæ sunt Divini, & quæ humani Juris; atque in his ipsis juribus humanæ atque mutationi obnoxia institutionis non discernunt inter ea quæ adhuc usu vigent, & ea quæ contrariâ consuetudine prorsus antiquata & abolita fuerunt, omnia confundant, & Andabatarum more cæcutientes suos in aëre gladios ventilent necesse sit.

II. Porro extra omnem dubitationis aleam hoc statuendum est, Ecclesiæ potestatem & auctoritatem circa illa omnia, quæ ad Dei cultum, Clerici disciplinam, rerum Fidei definitionem, morum ad Evangelii Christi præscripta doctrinam, ad prædicandum verbum Dei missionem, Animarum internam & externam præfecturam, Beneficiorum & Ecclesiastici ministerii provisionem, & Sacramentorum administrationem spectant, oriri penitus à divina institutione; atque in istis habere Ecclesiam immediatè à Deo ipso jurisdictionem internam & externam, directivam & coercitivam, utpote necessariam ad sacri regiminis, quod ei Deus contulit, executionem. Cui enim data est jurisdicctio, illa quoque concessa videtur, sine quibus jurisdicctio explicari non potest, l. *Cui jurisdicctio*, D. de jurisdicct. omn. judic. & cap. *Præterea*, de offic. Jud. deleg. Et utique non potest nisi ad externum, & contradictorium, simulque coercitivum judicium pertinere istud, quod Apostolus Timotheo Episcopo præscribit 1. Timoth. 5. *Accusationem adversus Presbyterum noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus*. Hujus sacræ potestatis originem ad unum Deum referunt Divinæ Scripturæ: Christus enim gregem suum, quo Fideles universi, & Ecclesiastici, & cujuscunque status Laici comprehenduntur, cum omnes se Christi oviculas esse gloriantur, pascendum & regendum in spiritualibus Petro tradidit, Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas*. Ipse verò Petrus hac Supremi Pastoris accepta divinitus potestate, minoribus, sibi que subjectis Pastoribus præcipit, 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei*. Et sacri Apostolatus confors Paulus Pastorum Ecclesiæ munus non aliò refert, quàm ad Spiritum Sanctam, quem Deum esse constat: sic enim illos admonet Act. 20. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*. Munus igitur Episcopis injunctum, non ab hominibus, sed à Deo ipso, versatur in eo ut regant Ecclesiam Dei. Munus verò reliquis omnibus sine ulla exceptione Fidelibus, sive publicam, sive privatam personam gerant, demandatum ab ipso Deo, istud est, ut Sacros Pastores venerentur, eis que in spiritualibus subjiçantur & obtemperent: quod idem attingit Apostolus Hebr. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacetis eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri*. Hæc sunt indubitata Dei præcepta, & incommutabilia, planèque indispensabilia instituta, quibus nulla possit aut hominum temeritas, aut temporum diuturnitas derogare.

III. Hac fides fiducia Sanctus Gregorius Nazianzenus orat. 17. ad cives.

cives timore perculosos, ita Praefectum praesentem alloquitur : *Et tu quoque una es gregis mei ovicula, mea potestati, meoque tribunali ex ipsius Christi mandato subiecta : mea vero iudiciaria potestas eo praestantior est illa potestate quam geris, quo spiritus carni, & caelum terra praeminet.*

IV. Praeter jura & immunitates Ecclesiae, quae sunt divinae, atque adeo immutabilis institutionis, alia quaedam sunt, de quibus disceptatur inter Catholicos ipsos, an sint immediate à Deo, an vero ab Ecclesia Canonibus, aut à Principum saeculi Constitutionibus ab eorum pietate & liberalitate profectis. Hujusmodi censentur immunitates bonorum Ecclesiae temporalium, necnon Clericorum exemptiones & privilegia in causis eorum merè realibus & temporalibus. Si enim haec sint divinae institutionis, nefas erit eadem violari vel imminui : sed si sint à Jure tantum humano & positivo exorta, poterit saltem diutina consuetudo his derogare, cum ipsa valeat etiam Generalium Conciliorum Canones Ecclesiasticos, sed non Divinos rescindere. Bonifacius Papa VIII. cap. *Quaquam*, de censib. in 6. asserit, *Ecclesiam & Clericos esse unà cum rebus suis Jure Divino à Secularium oneribus & exactionibus exemptos.* Plerique tamen graves Doctores istud negant. Sanctus Ambrosius orat. de tradendis Basilicis, sic ait : *Si tributum peti, tributum non negatur ; agri enim Ecclesiae tributum solvunt.* Valentinianus etiam senior in epist. ad Episcopos Asiae, apud Theodoretum lib. 4. hist. Eccles. cap. 7. dicit, *Pios & Religiosos Episcopos tributa Regibus pendere.* Et Urbanus Papa can. *Tributum*, 23. quaest. 8. *Tributum*, inquit, *in ore piscis piscante Petro inventum est, quia de exterioribus suis Ecclesia tributum reddit.* Sanctus praeterea Chrysostomus ad locum illum Rom. 13. *Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit, ideo enim & tributa praestatis ;* scribit obedientiam istam injungi quoque Praedicatoribus Evangelicis, & Prophetis, & Sacerdotibus, & Monachis. Divus etiam Thomas in eundem Pauli locum eadem edocet, necnon Innocentius Papa IV. in cap. 2. de majorit. & obed. Joannes Medina tract. de restitution. quaest. 15. Cardinalis etiam Bellarminus tom. 1. de Clericis, lib. 1. cap. 28. & Covarruvias pract. quaest. cap. 31. qui & hoc addit num. 5. sustineri posse Galliarum usum, quo Clerici in causis non quidem personalibus, sed realibus conveniri solent coram saeculari Judice, tametsi in aliis Catholicis Provinciis, atque adeo in Hispania, ubi scribebat, contrarius sit usus.

V. Nihilominus edicit lex *Placet*, C. de sacros. Eccles. *Pradia Ecclesiarum libera esse ab omnibus, & sordidis, & extraordinariis praestationibus, solisque subijci oneribus ordinariis.* Hanc subsequuti legem Canones Sacri prohibent etiam sub excommunicationis poena privatis personis, sub interdicto autem Communitatibus quibuscunque, tributa & onera personis Clericorum aut Ecclesiae rebus imponi, can. *Benè quidem*, dist. 96. cap. *Ecclesia*, de constitution. cap. *Adversus*, de immunit. Eccles. cap. *Noverint*, de sent. excoim. cap. *Quaquam*, de censib. in 6. Legitur in Exodo, terras

Sacerdotum Ægypti fuisse liberas & immunes, eamque immunitatem eis fuisse à Patriarcha Joseph conservatam, etiam si Ægyptiorum superstitiones abhorreret. Si tamen res Clericorum aut Ecclesiæ negotiandi causâ transferantur, subjiciuntur tributorum oneribus, d. cap. *Quoniam*. Exceptâ verò negotiatione non tenentur Clerici vectigalia pendere de frumento, vino, oleo, cæterisque fructibus ex suarum Præbendarum fundis ac prædiis. Abbas in cap. *Non minus*, de immunit. Eccles. Baldus in l. *Placet*, C. de sacros. Eccles.

VI. Sanè quocunque titulo fundus aliquis de manu laïca in Ecclesiæ dominium transferatur, per hoc tamen non eximitur à servitutibus & oneribus quibus antea erat obnoxius. Qualibet enim res ad quemcunque transferatur, semper cum suo transit onere, can. *Si quis laicus*, 16. quæst. 1. cap. *Pastoralis*, de decimis, cap. *Ex literis*, in fin. de pignor. & l. *Alienatio*, D. de contrah. empt. Tum etiam, quia nemo plus juris in alium transferre potest, quam ipse habeat, l. *Nemo plus juris*, D. de regul. jur.

VII. Præterea patrimonium, ad cuius titulum aliquis Sacros Ordines suscepit, non potitur privilegio aut exemptionibus rerum Ecclesiæ: non enim per hoc erigitur in Ecclesiasticum Beneficium, neque amittit pristinam rei merè temporalis conditionem, transitque cum reliquis profanis bonis ad hæredes. Præterea si quid ex taliter affecto patrimonio alienatur, non requiruntur conditiones quas jus requirit ad bonorum Ecclesiæ alienationem, quarum defectu irrita sit alienatio, Covarruvias lib. 1. variar. resolut. num. 4. Præterea Glossa 2. communiter recepta in Clement. 1. de in integr. restit. & Speculator tit. de in integr. restit. §. *Qualiter*, vers. *Sed nunquid*, affirmant restitutionem in integrum competentem Ecclesiis quasi jure minorum, nequaquam attribui Clericis ratione patrimonii, nisi ipsi reipsa sint minores: atque res Clericorum patrimoniales eodem usucapi tempore, quo usucapiuntur res laïcorum.

VIII. Onerum quidem alia realia, alia personalia censentur: & à realibus quidem oneribus Clericos ostendimus exemptos: nec minus, immò multò magis à personalibus immunes sunt ipso jure, quæ à laïcis imponuntur. Personalalia dicuntur onera, quæ animi provisione & corporali labore absolvuntur, ut ait lex ultima, §. 1. D. de munerib. & honor. Et ne quidem ad ea Clerici tenentur, quæ nullatenus fordida, sed honesta sunt, ut sunt publici Magistratus, seculares Administrationes, Legationes, curæ, tutelæ, can. *Generaliter*, 16. quæst. 1. nisi fortè sponte recipere Clericus velit legitimam tutelam, can. *Pervenit*, 86. dist. Eximuntur etiam Clerici ab obligatione militiæ quantumvis justæ, in qua etiam incurrerent irregularitatem, si fortè occiderent vel mutilarent, cap. *Præsentium*, de Cler. percuss. Possunt nihilominus in casu necessitatis obligari ad excubias & murorum custodiam, cap. *Pervenit*, de immunit. Eccles.

IX. Neque adigi possunt Clerici ad contribuendum pro murorum publicorum

publicorum reparatione, aut pro munimine Civitatis, aut Castri: neque cogi possunt ad recipiendos milites hospitio. Innocentius IV. in cap. 1. de immunit. Eccles. Abbas ibid. num. 1. Quin etiam famuli & coloni Clericorum eadem gaudent immunitate intra Clericorum aedes à se habitatas, can. *Generaliter*, 16. quest. 1.

X. Si tamen Clericus, Ecclesia, aut Monasterium feudum obtinerent à laico, tenerentur ad onera omnia feudo imposita, & ad ea præstanda cogi à Domino feudi possent. Innocentius in cap. *Verum*, de foro compet. Aded ut Papa leges clausuræ monasticæ præscribens cap. 1. de stat. Regul. in 6. statuatur nihilominus, ut Abbatissa vel Priorissa cujusvis Monasterii, si ab aliquo Principe, vel Domino temporali requiratur ad præstandum per seipsam, & non per procuratorem homagium, seu fidelitatis sacramentum ratione feudi à Monasterio possessi, ipsa de Monasterio honestè comitata egredi possit ad præstandum subjectionis & fidelitatis sacramentum: quo præstito, debet sine mora ad Monasterium reverti.

XI. Jam verò hætenus exploratis Clericorum privilegiis ex Jure communi, progredior ad eadem commemoranda ex Regum Gallia Constitutionibus. Sed in primis est præmonendum, ut quis in Gallia Clericus his fruatur privilegiis, non satis esse si Tonfurâ sit insignitus, geratque habitum Clericalem, quæ duo simul aliis in regionibus Catholicis sufficiunt; sed amplius requiri in hoc Regno, ut Clericus vel Beneficium Ecclesiasticum habeat, vel ut sacro sit Ordine insignitus, saltem Subdiaconatu, vel ut reipsa alicujus Ecclesiæ ministerio sit addictus, aut actu, & citra fraudem sit præstimonialis, atque in publico studeat Collegio, vel Communitati Ecclesiasticæ sit adscriptus: id enim multis Edictis statutum fuit Caroli IX. in Edicto Parisiensi, artic. 21. anno 1563. mense Januario; & Moliniis mense Februario anni 1566. artic. 21. rursusque Parisiis mense Julio ejusdem anni, art. 8.

XII. Atque in primis, quoad ipsorum Clericorum personales exemptiones, Carolus idem IX. in Comitibus Aurelianensibus, art. 28. & Henricus III. in Comitibus Blesensibus, art. 57. idemque in Edicto Parisiensi mensis Julii anni 1576. edixerunt non posse Clericum ullum Sacris initiatum adduci carceri propter nomina seu debita pecuniaria, ne quidem propter jura fiscalia. Quin etiam addunt, non posse capi & oppignerari pro debitis pecuniariis vestes ipsorum, neque libros, neque mobilia illa bona, quæ vel Divinis Ministeriis, vel eorundem usibus domesticis & necessariis sunt destinata. Ab oneribus præterea personalibus, tam privatis, quam publicis, quæ ab Officialibus seu Magistratibus laicis imponi solent, ut sunt sequestrationes, tutelæ, curæ, publica officia, & alia id genus, eximuntur in hoc Regno Clerici, non solum ex Jure communi, ut jam vidimus, sed etiam ex jure & consuetudine Regni.

XIII. De ordine autem sessionis, præfessio debetur Vicario Generali Episcopi

Episcopi supra quoscunque Judices subalternos, quoties simul juridicè procedunt, sicut ordinavit Ludovicus XIII. in suo sacratiore sedens Consilio, die Novembris 27. anno 1642. ubi adjudicavit Vicario Generali Remensi præsentiam supra Juridicum Prætozem ejusdem Civitatis, quem vocant Locumtenentem Generalem, in Conventibus concernentibus Hospitalium administrationem, aut redditiones rationum piarum caufarum, & juramenti circa hæc receptionem.

XIV. Pertinet verò ad Jus Divinum profus indispensabile Caroli IX. Constitutio anni 1571. in Senatu Parisiensi verificata & recepta die 10. Augusti anni ejusdem, sic jubens art. 11. *Non poterunt Ballivi, & Senescalli, alivæ Judices, neque nostræ Parliamentorum Curia Prælatos & Beneficiorum collatores compellere ad conferenda aliqua Beneficia Partibus præsententibus: sed eas remittent ad alios Superiores Prælatos, ut super inferioris Prælati recusatone secundum jura provideant.* Hoc idem edixere Henricus III. Constitutionum Blesensium art. 64. & Ludovicus XIII. Constitutione anni 1629. artic. 22. Cùmque attentasset Rhotomagensè Parliamentum diem dicere Sagiensi Episcopo, ut causas allegaret suæ recusatationis circa petitam Præbendæ collationem, Rex in secretiore Consilio hanc assignationem Juri contrariam judicavit, Episcopumque ab ea relevavit; prohibuit etiam Parlamento simile quidquam posthac decernere, salvo tamen jure Partis ad Superiorem Prælatum provocandi. Regium hoc Decretum est anni 1630. die Julii 30. Edicta etiam Regum Franciæ in Codice Henrico, & in Collationibus lib. 1. necnon in Compilatione Constitutionum Regiarum per Guenosium & Theveneam, tit. de Xenodochiis, artic. 9. præsentiam requirunt Episcopi, aut ejus Vicarii, quemadmodum etiam Regii Officialis & Consulium loci, in ratiociniis pecuniæ per Administratores Xenodochiorum, & Nosocomiorum faciendis; idque edixit Carolus IX. ad Fontembellaqueum anno 1561. art. 6.

XV. Causæ Fidei in Gallia perinde ac in reliquis Catholicis regionibus sunt Ecclesiastici fori, & agitandas esse coram Ordinario edixerunt publicis Constitutionibus Franciscus I. Henricus II. & Carolus IX. relatis in Codice Henrico, & in Collatione Regiarum Constitutionum. Causæ pariter Matrimoniorum, circa eorum validitatem, aut nullitatem, solis attribuuntur Judicibus Ecclesiasticis, juxta Edictum Henrici IV. artic. 12. anni 1606. Judices quoque Ecclesiastici, non solum de fœdere connubii, sed etiam de sponsalibus, ac promissionibus futuri Matrimonii, ut præambulis ad hoc Sacramentum, cognoscunt & judicant in hoc Regno, ut scribunt Gallicani Jurisconsulti Bacquet *des Justices*, chap. 21. nombre 332. Pastor de jurisdictione Eccles. cap. 13. num. 7. profertque Senatusconsulta per quæ talium promissionum causæ ad Episcopos remissæ sunt.

XVI. Edicto insuper Francisci I. anni 1539. confirmatur Ecclesiæ Gallicanæ

Gallicanae jurisdictionis circa Divinorum Sacramentorum causas inter quilibet etiam laicas personas. Eadem quoque ibidem jurisdictionis asseritur Ecclesiae in causis Clericorum personalibus. Laurentius Bochellus in Summa Benefic. verb. *Jus in Ecclesiastica*, in fin. docet duas esse regulas & Gallicani Fori axiomata indubitata. In primis, causas tum Decimarum Ecclesiasticarum, tum etiam Matrimoniorum pertinere ad Ecclesiae Regni Forum. Secundo, causas criminum haeresis & simoniae etiam contra laicos reos agitandas esse coram Judicibus Ecclesiasticis: additque ita fuisse publice in Parlamento Parisiensi declaratum praesidente Thuano, postulante Regio Advocato Dumefnil, die 29. Decembris 1562. Decimarum quidem causas attribuit Ecclesiae Gallicanae Foro Constitutio Philippi IV. anni 1302. & Faber C. de jurisdic. omn. judic. defn. 49. Apud Annæum Robertum lib. 3. rerum judicat. cap. 5. & lib. 4. cap. 10. referuntur Parisiensis Senatusconsulta, quae partes litigantes tum circa sponsalia, seu sponsonem futuri matrimonii; tum circa judicium & cognitionem impotentiae ad contractum matrimonium, remittunt ad Ordinarium; quem tamen excludunt à cognitione, & judicio de damnis, & eo quod interest, utpote spectantibus ad solum laicum Tribunal, tametsi emergant occasione Matrimoniorum.

XVII. Quod demum attinet ad realium munerum ac onerum exemptionem, Carolus IX. edixit Parisiis, mense Junio, anno 1568. esse immunes Clericos circa praedia, & proventus suarum Ecclesiarum, & Praebendarum, ab omnibus praestationibus publicis, ac vectigalibus, neque his astringi nisi in suis patrimonialibus bonis. Idemque altero Parisiensi Edicto mensis Novembris anni ejusdem saeculi septuagesimifecundi, & altero insequentis anni mensis Maii, ad Nemas Vincennarum: deinde Henricus III. Avenione, anno septuagesimoquarto, mense Decembri; & idem in Comitibus Blesensibus, artic. 58. idemque postea Parisiis mense Januario, anno 1580. artic. 19. statuunt Clericos in suorum Beneficiorum fructibus, & praediis liberos esse ab omnibus pecuniariis contributionibus, & à Gubernatorum & militum hospitibus, & ab expensis & sumptibus praesidio militari, munitio, fortificationum, annonarum militarium, armorum, equorum; itemque ab excubiis & custodiis, etiamsi mandatis Regiis aut inferiorum Potestatum declararetur comprehendi cunctas exemptas & privilegiatas personas. Admonet nihilominus Charondas multis Senatusconsultis constitutum fuisse, non esse Clericos, tam regulares quam saeculares à custodia portarum & urbium excubiis immunes tempore belli; quia tunc agitur de communi conservatione etiam Ecclesiarum, & Clericorum, & facultatum ac rerum ad eos, easque pertinentium, urgetque periculum si minuantur excubiae: praesertim cum Pontifex ipse declaret, non esse immunes ab excubiis Clericos tempore belli, cap. *Pervenit*, de immunit. Eccles. Ita Charondas ad Codicis Henrici lib. 1. tit. 18. art. 4.

M

XVIII.

XVIII. Henricus III. Bleſis, menſe Martio, anno ſupra milleſimum quingentefimo ſeptuageſimoſeptimo, aſſumi declarat in ſua protectionem Regiam omnes & ſingulos Eccleſiaſticos Regni, eorumque domos, prædia, opes ab eorum Beneficiis dependentes; ſequè eos eximere ab omnibus bellicis contributionibus, & militum hoſpitiis: & Clericis permitti, ut apponant in ſuis ædibus, terris, & villis Inſignia Regia ad ſalvanguardiam. Quam rem Carolus IX. pariter edixerat artic. 15. Conſtitutionis Pariſiis editæ die 16. Aprilis, anno ejus ſæculi ſeptuageſimoſimo.

XIX. Suam verò beneficentiam latiùs diffudit etiam ad bona Clericorum patrimonialia Ludovicus XIII. qui Turonibus, menſe Decembri, anno 1619. edixit, Clericos, tam ſæculares quàm regulares, eximi à cunctis oneribus, præſtationibus, & collectis, à quibus Nobiles Regni exempti ſunt, atque à francis feudis, novis acquisitionibus, donis gratuitis, commodatis à Rege ſumendis, aliisque quibuſcunque ſubventionibus Regi præſtandis. Item à murorum publicorum reparationibus, fortificationibus, pontium ſubſtructionibus, aggerum, itinerum, fontium inſtauratione vel ſtructura. Itemque ab annonæ militaris contributione, à Gubernatorum & militum impenſis, victu, hoſpitiis, ſive intra Beneficii Eccleſiaſtici, ſive bonorum patrimonialium ad Eccleſiaſticas perſonas pertinentium domos, ſive in urbe, ſive rure. Eximi pariter à publicorum debitorum ſolutione, à ſalariis, vectigalibus, à capitacionibus, ſeu assignatis ad ſingula hominum capita impoſitionibus, ſive per Ediſta Regia, ſive per Gubernatorum, aut aliorum Officialium Regiorum mandata, ſive per Communitates aut municipales Magiſtratus, etiam in favorem Hoſpitalium aut ſubventionum pauperum, niſi fuerint hæc onera ab ipsis Episcopis pietatis cauſâ liberè indiſta. Hæc univerſa Rex idem altero confirmavit Ediſto Compendii, menſe Junio, anno ejusdem ſæculi vigefimoquarto, quo decernit bona quidem Beneficialia & Eccleſiaſtica eſſe abſolutè immunia: ſed Clericorum patrimonialia bona, ſeu acquiſita eſſe pariter ab omnibus vectigalibus & communibus præſtationibus immunia illis in locis, in quibus vectigalia perſonalia exiſtunt, nullatenus autem ubi realia ſunt; dummodò ubi onera ſunt perſonalia Clerici ipſi per ſordidos actus gradus ſui dignitati non derogent, exercendo mercimonia vel alienorum prædiorum locationes, etiam ſub aliorum nomine. Eadem iterantur ejusdem alio Ediſto in Villa Sancti Germani ad Nemus, menſe Octobri, anno 1626. Eadem pridem edixerant Henricus III. & IV. Eademque innumeris placitis tum Supremi Conſilii Regii, tum etiam Subſidiorum Curia, quæ in tertio tomo Actuum & Titulorum Gallicani Cleri inſerta leguntur, confirmata ſunt.

XX. Carolus inſuper IX. Ediſto Pariſienſi, menſe Novembri, anno ſupra milleſimum quingentefimo ſeptuageſimoſecundo; & Villa Sancti Germani

Germani ad Nemus, mense Februario, anno ejusdem sæculi septuagesimo-quarto: & Henricus III. Parisiis, mense Julio, anno sequentis sæculi septimo: Ludovicus quoque XIII. Parisiis, mense Augusto, anno 1612. decernunt, cogi non posse Clericos ad exhibendum titulos possessionum aut proventuum Ecclesiasticorum sub ullo prætextu, sive francorum feudorum, sive novarum acquisitionum, sive alia quavis de causa; hoc enim in plerisque impossibile esset ob transactorum bellorum clades, præsertim civilium, quæ Religionis prætextus toto Regno excitavit: sed sufficere si constet de possessione, nec probetur injusta vis ac usurpatio; sicut jus Civile & Canonicum constituunt in omni causa possessoria, ut fufius suo loco explicabimus.

XXI. Cùm verò triplex sit Ecclesiastica immunitas, scilicet personalis, realis, & localis; & de duabus primis satis superque actum sit, hoc sciendum de locali, Jure quidem communi reos criminum & servos metu dominorum ad Ecclesiam confugientes, abstrahi exinde non posse, ut constat ex plerisque Canonibus, can. *Miror*, can. *Reum*, can. *Frater*, can. *Si quis contumax*, can. *Metuentes*, can. *Uxor*, can. *Definit*, can. *Id constitimus*, 17. quæst. 4. Neque dimittebantur confugientes, nisi præstito à persequentibus sacramento de personæ confugientis securitate. Præsertim verò in ipsa Gallia ab ipsis Christianæ Fidei exordiis hoc servatum constat ex Arausiacani Concilii I. can. 5. & Aurelianensis I. can. 1. & quarti Aurelianensis can. 21. Gregorius etiam Papa XIV. anno 1591. Constitutionem edidit incipientem, *Cùm aliàs nonnulli*, circa ea quæ spectant ad securitatem reorum criminum ad Ecclesias confugientium: excludit verò ab ista immunitate publicos latrones, & itinerum grassatores, agrorum depopulatores, & eos qui intra ipsam Ecclesiam aut Cæmeterium homicidia vel mutilationes hominum commiserunt, eosque qui proditoriè hominem trucidaverint, quos vocant Assassinos: hæreticos etiam, & Majestatis reos, qui in ipsam Principis personam attentaverint. Reliquis verò reis jubet immunitatem Ecclesiasticam suffragari. Statutum pridem fuerat lege *Præsenti*, & l. *Fideli*, C. de his qui ad Eccles. confug. & cap. *Inter alia*, de immunit. Eccles. cujuscunque criminis reos, exceptis publicis latronibus, & nocturnis agrorum depopulatoribus, non posse de Ecclesia extrahi. Legimus etiam 3. Regum 2. Joab belli ducem, eo quòd Abnerem & Amasam proditoriè interemisset, occisum jussu Salomonis fuisse intra tabernaculum, juxta Altare in quod confugerat. Verumtamen in Gallia ne hac immunitate & impunitate licentia criminum ingravescat, vix ulla servatur in Ecclesia immunitas reorum confugientium, nisi eorum qui ære alieno gravantur, ut ibi neque capi, neque inde extrahi queant.

XXII. Altera localis Ecclesiarum immunitas excludit ab eis omnes profanos usus, non modò abjectos & sordidos, quales sunt negotiationes, jumentorum aut bajulorum transitus, juxta Domini exemplum ejicientis


M 2 venditores

venditores & emptores columbarum ex porticu Templi, & proclamantis domum Dei esse orationis domum, Matth. 21. domum enim Dei decet sanctitudo, Psalm. 92. Sed insuper excludit Ecclesie immunitas omnem forensium processum, & judiciorum strepitum, etiam à Cœmeteriis, cap. 1. & cap. *Cum Ecclesia*, de immunit. Eccles. & cap. *Decet*, eod. tit. in 6. Ad eò ut quæcunque judiciales sententiæ in Ecclesiis latae nulla sint, ac irritæ, d. cap. *Decet*, in fin.



CAPUT XX.

De Regularibus, & Regulari Professione,
& quatenus ab ea reclamare liceat.

I. HRISTIANA perfectio in charitate perfecta consistit. Status autem religiosus, qui versatur circa consilia, est expeditior ad christianam perfectionem via, quatenus observatio consiliorum evangelicorum removet impedimenta charitatis, efficitque ut charitas perfectius exerceatur, ut docet Abbas Moyses apud Cassianum collatione 1. cap. 7. & S. Thomas 2. 2. quæst. 1. De hoc ergo ad perfectionem christianam adductivo statu nunc agendum.

II. Per professionem homo fit irrevocabiliter Regularis. Porrò veteri & abolitæ illi consuetudini, quæ homines plerumque invitos Religioni astringebat, nullâ habitâ cujuscunque ætatis etiam infantilis ratione, abjectâ quoque certi alicujus temporis probatione, sive ex eo quod infantem parentes ejus Monasterio obtulerant, sive quia aliquis lecto per ægritudinem decumbens religioso habitu fuerat à circumstantibus indutus; adeò ut Rex Hispaniæ Vamba multis victoriis de Saracenorum gente reportatis illustris, astrictus ad hoc fuerit, ut Regno se abdicaret, & Monasterio se includeret, ex hoc solo, quod gravi ægritudine in amentiam simul & vitæ discrimen adductus, habitu monastico vestitus à quibusdam Episcopis fuerat, citra ullum ipsius consensum, cujus tunc erat incapax; de qua veteri consuetudine, quæ sexcentis ferè annis viguit, copiosius tractavi in Notitia Conciliorum, ad Concilium Vormatiense: illi, inquam, antiquatæ consuetudini successit rationabilior disciplina, quæ liberam requirit ad profitendum deliberationem, & capacem deliberandi ætatem. Primum quidem præfixa fuit ad eam rem eadem ætas, quæ ad validum matrimonium exigitur in masculo annorum quatuordecim, & in fœmina duodecim completorum, ut decernit caput *Significatum*, & cap. *Cum virum*, de Regular. Sed his demùm succedens Concilium Trident. requirit in utroque sexu.

sexu & integrum probationis annum, & annos atatis sexdecim adimpletos, sess. 25. de Regular. cap. 15. Idemque excommunicationis poenam infert sive parentibus, sive quibuscunque aliis, qui per vim aut metum quenquam ad religiosum statum adegerint, vel etiam ad hoc fuerint cooperati, dicta sess. 25. cap. 17. & 18. Regium pariter in Comitibus Blesensibus Edictum huic Tridentinae Sanctioni conformatur & quoad annum probationis, & quoad professionis aetatem, art. 28.

III. Prohibet Sanctus Gregorius Papa lib. 1. epist. 48. ad Antemium, suscipi in quibusdam insularis, & rigidioris Observantiae Monasteriis ad religiosam professionem eos qui decimumoctavum annum, qui est perfecta pubertatis, non attigerint. Idque refertur ut Palea, cap. *Quia autem*, 20. quaest. 2. & repetitur in cap. *Quia in insulis*, de Regular. Proprium sane Cartusianorum est, ut non liceat apud eos profiteri, nisi adimpleto decimo octavo aetatis anno.

IV. Vota omnia ante professionem emissa commutari propria auctoritate possunt in vota religiosae professionis, ut censent communiter Doctores: & appositè ait caput *Scripturae*, de voto: *Reus fracti voti non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam noscitur commutare*. Unde eo ipso, quod aliquis profitetur, etsi nihil de anteaactis votis cogitet, dispensatur sufficienter ab eis, nisi de his ita cogitet, ut explicitè horum obligationem perdurare intendat. Lessius lib. 2. cap. 40. n. 106.

V. Sciendum porro est, sex recenseri defectus, quorum singuli nullam & invalidam reddunt professionem. 1. Legitimi consensus, sive per vim, sive per metum extorti. 2. Anni non expleti ad probationem requisiti, etiam si ante Tridentinum Concilium professio fieri quidem ante annum completum prohiberetur, sed tamen facta non dirimeretur. 3. Aetatis, si nondum finito decimosexto aetatis anno emissa fuerit professio. 4. Sexus, si vir inter mulieres, aut mulier inter viros profiteatur. Hermaphroditus verò ad evitanda scandala nullibi profiteri potest. 5. Defectus sui juris, ut est in conjugatis, aut servis; nisi inter conjugatos causa legitima intervenit perpetui divortii, ut esset adulterium unius partium legitime probatum; aut nisi alter conjugum se quoque religiosam professionem, vel sacris Ordinibus astringat, cap. *Cum sis praeclatus*, cap. *Constitutus*, cap. *Mulier*, de conversione conjug. 6. Si fuerit acceptata professio ab eo qui non est legitimus ad hoc Superior, neque à legitimo Superiore delegatus: neque hunc defectum potest reparare succedens à legitimo Superiore facta ratificatio. Quia ratum quis habere non potest quod suo nomine non est gestum, cap. *Ratum*, de regul. jur. in 6. Ideoque necesse est eam professionem renovari ad hoc ut habeatur professus Religiosus. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. n. 61.

VI. Quod attinet ad reclamationem adversus propriam professionem ex praetensa ejus invaliditate, Concilium Trident. sess. 25. cap. 19. ita providit: *Quicumque Regularis praetendat se per vim aut metum ingressum esse Religionem,*

gionem, aut etiam dicat ante legitimam aetatem professum fuisse, aut quid simile, velique habitum dimittere quacunque ex causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur nisi intra quinquennium tantum a die professionis. Et tunc non aliter, nisi causas, quas pretendit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si habitum antea sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quancunque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur.

VII. Istud quinquennium definitum ad reclamandum fundatur in presumptione tacite ratificationis. Si tamen sciret pro certo is qui sic professus est, eam presumptionem in seipso falsam esse, eo quod toto quinquennio causam nullitatis suae professionis ex juris vel facti ignorantia nesciverit, vel quia continuatio causae metus aut violentiae, alterave legitima causa hanc intra quinquennium reclamationem impediverit, in ejusmodi casibus si professus transacto quinquennio reclamet, audiri poterit saltem extraordinario judicio, ut in integrum restituatur, ut docent Navarra comment. 4. de Regularib. num. 71. ver. 3. Azorius lib. 2. cap. 4. quaest. ult. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. Barbosa in eum Tridentini locum, num. 8. alique communiter contra Bonacinam tract. de clausur. quaest. 2. p. 10. dub. 4. Tempus quippe à jure praestitutum non currit adversus legitime impeditum, cap. *Inter quatuor*, de Clericis non resid. & cap. *Commisa*, de election. in 6. Receptam verò hanc esse proximè docet Barbosa num. 9. & 10. ut qui restitui vult adversus elapsum quinquennium, recurat ad Papam, vel ad Cardinalium Congregationem Concilii Tridentini, vel Regularium. Ubi autem non est elapsum quinquennium, nihil amplius efflagitat Tridentinum, quàm ut causa dijudicetur ab Ordinario & Superiore Regulari. Ufu tamen communi receptum videmus, ut antea impetretur à Papa vel Legato rescriptum, per quod causae cognitio committatur Ordinario. Quares quisnam Ordinarius, & quisnam Regularis Superior sit censendus, coram quibus causa reclamationis hujusmodi disceptanda sit? Sacra Concilii Congregatio die 1. Decembris 1593. declaravit agendum esse coram Superiore Monasterii, in quo professio emissã fuit, & simul coram ejusdem Diocesis Ordinario, ut refert ad hanc Tridentinam Sanctionem Joannes Gallemartus. Et sanè rationi congruit, quia probationes & oppositiones ex eodem loco, in quo professum fuit, facilius innotescunt. Sed ubi recursus ad eum locum aut vix, aut nullatenus haberi possèt, attendendus erit locus ultimae ejus, qui reclamat, residentiae. Hoc porro sciendum est, jus quinquennii, etiam si intra ipsum quinquennium integrum perdu-raverit causa metus, nullatenus hoc sensu transferri, aut ita prorogari, ut supersit alterum quinquennium; sed ex quo cessavit quinquennium, simulque causa metus, si professus intra sequentem annum qui ad probationem computandus foret, non reclamaverit, nullatenus deinceps erit audiendus, argumento cap. *Ad id*, de Sponsalib.

VIII. In eo certè lubens Bonacinae & Prospero Fagnano consentio, nequaquam licere illi, qui credat se invalidè professum fuisse, neque rati-
ficasse, quocunque tempore transacto fugam arripere, non deductis coram
Superiore Regulari cautis; quantumlibet contra Constitutionem Triden-
tinam loco citato docere ausing Navarra comment. 4. de Regular. numero
penult. Henriquez, Sanchez & alii. Ratio namque boni communis præ-
ponderare debet præsumpto alicujus particularis juri, præsertim ubi Lex
vel Canon diserte loquitur, ut fit in ista causa. In hoc autem consistit
commune bonum, quia inevitabile scandalum emerget, si Religiosus jam-
dudum professus religiosum habitum, aut Monasterium propria autoritate
dimittat, sine ulla causâ coram Superiore redditione præcedenti, quâ
quodammodo voluntariæ apostasiæ propositum excuset. Deinde tam efficiens
licentia aliis plerisque Regularibus viam aperiret, ut hac adducti doctrina,
& sociorum exemplo, simile quoque attentare præsumerent. Commune
verò bonum privatæ utilitati præferendum, & ratio docet, & simul caput
Scias frater, 7. quæst. 1.

IX. Præter expressam professionem Jus commune alteram professionis
religiosæ speciem admittit, quæ tacita dicitur. Hæc tribus modis fieri potest.
Primus est, si suscepto Religionis habitu, & transacto probationis tempore,
faciat quis opus solis conveniens professis, consentiente Superiore, hoc
ipso inducitur tacita professio, quanvis ille juraret se nullatenus inten-
disse hoc faciendo Religionem se astringere, cap. *Vidua*, de Regular. Secundus
modus accidit, quum quis transacto pariter probationis tempore, sciens,
volensque triduo defert habitum professi manifestè à novitiorum habitu
distinctum, cap. *Ad nostram*, eod. tit. & cap. *Constitutionem*, de Regular.
in 6. Tertius denique modus est, quum quis habitum professis simul
& novitiis communem, aut occultam, non verò manifesta distinctione discre-
tum defert anno integro computato à die finitæ probationis, cap. *Ex parte*,
de Regular. in 6. & Clement. *Eos qui*, de Regular.

X. Caterùm in Regno Gallia minimè prorsus admittitur ulla tacita
professio. Et quando recepta fuisset illa Ludovici XIII. Constitutio quæ
exigit quinque annorum delationem habitus religiosi ad tacitam professio-
nem inducendam, hæc sola valeret in hoc regno tacitæ professionis for-
ma: sed nec ista prorsus admissa fuit, & in universum viger in Gallia pro-
positio, *Per habitum non efficitur Monachus*, ut cum plerisque aliis, quos al-
legat, Despeus affirmat tom. 2. tit. 1. sect. 1. num. 36. adeò ut approba-
tum fuerit in Parisiensi Senatu testamentum ab eo conditum, qui annos
viginti octo habitum religiosum in Monasterio sine expressa professione
geitaverat. His favet Molinensis Constitutio artic. 55. quæ nullam aliam
approbat, admittitque religiosam professionem, nisi eam quæ scriptis
consignata est, eo consentiente, de cujus professione agitur. Et verò præ-
textu tacitæ professionis contra bonam fidem & æquitatem facile potest
aliena

aliena calliditas simplicitati & ignorantiae Novitii illudere, qui hac astutiâ inficius & invitus religiosae professionis jugam ferre cogatur miserè circumventus. Hanc denuò materiam pertractat idem Despellessus tom. 3. tract. de benef. Eccles. tit. 11. sect. 5. num. 2.

XI. Libertati Monialium prospiciens Concilium Trident. sess. 25. cap. 27. de Regular. statuit ad regularem habitum non licere ullam admittere, neque postea ad solennem professionem, nisi prius ejus voluntas auctoritate Ordinarii fuerit explorata: ideoque teneri Abbatissam Ordinarium admonere ad minus uno mense ante destinatam professionem, sub pena suspensionis. Quod idem Jure Gallicano decernitur Comitiorum Blesensium artic. 28.



CAPUT XXI.

De obedientia primùm generatim, tum in specie de obedientia Regularium.

I. **U**ANDOQUIDEM obedientia ordinem habet essentialem ad Superioris voluntatem, ubicumque legitimus Superior legitime vel præcipit, vel prohibet, debet subditus morem gerere, si eum causa rationabilis non excuset, cap. *Si quando*, de script. Summus verò omnium Superior Deus est, ceterique omnes Superiores ita Deo subalternantur & subduntur, ut si contraria divinis jussionibus jubeant, nequaquam eis obtemperandum sit, ut Apostolico effato monemur Act. 5. vers. 29. *Obedire oportet Deo magis quam hominibus*. Cum verò Deus neque errare, neque ignorare quidquam possit, ejusque sit universale & illimitatum dominium, quidquid præcipiat, eos indubitatò adstringit, ad quos suum dirigit præceptum. At verò cum possint creati Superiores errare aliquando, aut contra officium jubere aut prohibere, sitque certis quibusdam finibus potestas eorum circumscripta, contingere potest ut inferiores possint, aut etiam quandoque teneantur non obedire. Potestati enim inferiori intantum aliquis subjici debet, inquantum ordinem altioris Superioris servat, à quo si exorbitaverit, ei subjici quoad hoc non oportet, ut docet Sanctus Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 3. ad 1. Exempli causâ, Regibus debent subditi obedire, nisi quid jubeant contra evidentem Dei voluntatem: & Magistratibus aut Præfectis Urbium vel Provinciarum, præterquam in illis quæ Regis ipsius voluntati noscuntur adversari. Hoc docet Sanctus Augustinus sermone 6. de verbis Domini, & habetur in can. *Qui resistit*, 11. quæst. 3.

II. Sapienter

II. Sapienter etiam idem docet Angelicus Doctor, duplicem esse causam cur inferiores Superiori suo parere non teneantur, 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp. Prima quidem illa est, quam diximus, si altior Superior contraria, & opposita his velit. Secunda est, si quis Superior præcipiat aliquid inferiori, in quo ei non subjiatur, & sic excedat limites suæ potestatis.

III. Hæc igitur applicando Superioribus Ecclesiasticis, contigit aliquando, & contingere ulterius potest, ut transfiliendo indulta sibi à Domino Jesu Christo potestatis fines, aliquid ab eorum aliquo præcipiatur divinæ legi oppositum, aut etiam nullatenus ad salutem animarum spectans, & extra fines potestatis ipsorum. Atque in priore quidem casu necessitas Fidelibus incumberet ejusmodi jussioni refragandi, ne ordinem debitum pervertendo creata & subalterna Potestas Divinæ atque supremæ anteponatur. Posteriore autem casu, si esset prorsus evidens nihil penitus ad bonum Ecclesiæ ac salutem animarum conferre, non obligaretur Fidelis ad consentiendum: sed exterius eatenus maneret obligatus ad abstinendum non modò ab omni contemptu, sed etiam ab omni illa dissensù significatione, quæ posset vel turbas, vel scandalum ingenerare. Sapienter itaque rescribit Alexander Papa III. his verbis: *Patienter sustinebimus si non feceris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum*, cap. *Siquando*, de rescript.

IV. His alterum Canonistæ adjungunt non obediendi casum, Panormitanus in cap. *Siquando*, de rescript. & Angelus verb. *Obedientia*, num. 2. si nimirum ex obedientia mandati Papæ prævideatur scandalum grave sequiturum; tunc enim præstaret humiliter apud homines excommunicationem pati, quæ nulla sit apud Deum, quam sic obedire, ut traditur in cap. *Literas*, §. *Porro*, de rescript. *Spoliat*. & in cap. *Inquisitioni*, de sent. excomm.

V. Præterea quæri potest, utrum omnis mortaliter culpabilis inobedientia cum pertinacia conjuncta, contineat in se crimen schismatis? Respondet sanctus Thomas, quem sequuntur communiter Theologi, omne quidem schisma involvere secum inobedientiam; sed non omnem inobedientiam, quantumvis pervicacem & criminofam adversus Pontificem, vel Ecclesiam, posse dici schisma, vel schismati adjunctam. Ergo sanctus Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 1. distinguit schisma ab inobedientia, quatenus etiamsi inobedientia subtrahat se quodammodò à debita subjectione, illa tamen subtractio est secundum quid, & per accidens; cum tamen schisma primariò & per se intendat ejusmodi subtractionem à dependentia Papæ, id est ut idè principaliter non obediat, quia non vult illum pro capite agnoscere: eoque sensu definit schismaticos, ut sint quicumque subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subiectis communicare recusant. Hæc eadem fusiùs docet Sylvester in Summa, verb. *Schismaticus*: hisque consentiunt cæteri Theologi & Summistæ.

VI. Cardinalis Cajetanus in Comment. ad d. art. 1. sancti Thomæ, præclaram adducit distinctionem, quæ multa potest dubia resolvere. Ejus hæc

N verba

verba subijcio : *Adverte diligenter, quod recusare preceptum vel iudicium Papa, contingit tripliciter. Primo ex parte rei iudicatae, sive precepta: Secundo ex parte persona iudicantis: Tertio ex parte officii ipsius iudicis. Si quis enim etiam pertinaciter contemnat sententiam Papa, quoniam scilicet non vult exequi que mandavit, puta abstinere à tali bello, restituere talem Statum, &c. licet gravissimè peccet, non tamen ex hoc est schismaticus. Contingit namque sapere nolle exequi precepta Superioris, retenta tamen recognitione illius in Superiorem. Si quis vero personam Papa rationabiliter suspectam habet, & propterea non solum presentiam ejus, sed etiam immediatum ejus iudicium recusat, paratus ad non suspectos iudices ab eodem suscipiendos, nec schismatis, nec alterius vitii crimen incurrit. Naturale namque est evitare nociva & cavere à periculis: potestque persona Papa tyrannicè gubernare, & tantò facilius quanto potentior est, & neminem in terris timet ultorem. Cum quis autem Papa iudicium, vel preceptum ex parte ejus officii recusat, non recognoscens eum ut Superiorem, quavis hoc credat, tunc proprie schismaticus est. Et juxta hunc sensum intelligenda sunt verba litera hujus & similium. Inobedientia enim quantumcunque pertinax, non constituit schisma, nisi sit rebellio ad officium Papa vel Ecclesie, ita ut renuat illi subesse, atque illum recognoscere ut Superiorem. Hucusque verba Cajetani.*

VII. Post constitutam à Deo Spiritualem in Ecclesia Potestatem, quæ omnium Sanctissima & Augustissima censenda est, & cui potior debetur obedientia, spectari debent Potestates legitimè circa temporalia constitutæ. Harum namque institutionem à Deo esse docent Sacra Litera, Roman. 13. *Omnia anima Potestatibus sublimioribus subdita sit; non est enim Potestas nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit Potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Eadem tamen causæ quæ dispensant ab obedientia Superioribus Ecclesiasticis debita, multò magis dispensare possunt ab ea, quæ Principibus & Magistratibus debetur. Summa porro Principum potestas in condendis Legibus versatur: circa quarum obligationem operæ pretium est sancti Thomæ ipsa verba hîc proponere ex 1.2. q. 96. art. 4. in corp. *Leges (ait) humanitus posite justæ sunt, vel injustæ: si justæ sunt, habent vim obligandi in foro conscientie à Lege æterna, à qua derivantur, juxta illud Proverb. 8. Per me Reges regnant, & Legum Conditores justæ decernunt. Injustæ autem sunt leges dupliciter, uno modo per contrarietatem ad bonum humanum, vel ex fine; sicut cum aliquis Præsides leges imponit onerosas subditis, non pertinentes ad utilitatem communem, sed magis ad propriam cupiditatem vel gloriam: vel etiam ex auctore, sicut cum quis legem fert ultra commissam sibi potestatem: vel etiam ex forma, puta cum inequaliter onera multitudini dispensantur, etiam si ordinentur ad bonum commune. Et hujusmodi magis violentiæ sunt quàm leges, quia sicut Augustinus dicit in lib. 1. de libero arbitrio, cap. 5. Lex esse non videtur quæ justæ non fuerit. Unde tales leges non obligant in foro conscientie, nisi forte propter vitandum scandalum.**

scandalum, vel turbationem; propter quod etiam homo juri suo debet cedere, secundum illud Matth. 5. Qui angariaverit te mille passus, vade cum illo & alia duo: & qui abstulerit tibi tunicam, da ei & pallium. Alio modo leges possunt esse injusta per contrarietatem ad bonum divinum, sicut leges tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel ad quodcumque aliud, quod sit contra legem Divinam: & tales leges nullo modo licet observare; quia sicut dicitur Act. 4. obedire oportet magis Deo quam hominibus. Haec tenus verba S. Thomae, quae breviter & solide multas elucidant difficultates. Quinetiam ipsae iustae & rationabiles Leges Civiles & humanae neminem astringunt, ut superius docuimus, nisi ex quo promulgatae fuerint, & moribus utentium, majoris scilicet partis ejus, in qua quis versatur, Universitatis confirmantur, can. In istis, §. Leges, dist. 4. Navar. Enchir. cap. 23, num. 41.

VIII. Quae dixi de legibus à Jure naturali vel à ratione alienis, ratio suadet ut locum habeant in sententiis quoque & judiciis. Idcirco S. Gregorius Papa sic ait lib. 2. epist. 6. *Sententia contra Leges, Canonesque prolata, licet non sit appellatione suspensa, non potest tamen subsistere ipso jure.* Habetur in cap. 1. de sent. & re jud. Cui conformatur sub eod. tit. caput *Inter ceteras*, dicens: *Cum aliqua causa appellatione remota committitur, & sententia fertur iniqua, eam evacuari oportet, nec ei debet stari, si iniquitatem contineat manifestam.*

IX. Nunc progrediendum ad Regularium obedientiam, quae ex professione sua voto tenentur. In primis plerumque eorum Regulae minimè sub mortali culpa inobedientes obligant nisi in duobus casibus, nimirum scandalali, & contemptus. Si namque in Monasterio ubi viget observantia, videat aut praevidere debeat Religiosus se ex frequenti inobedientiae suae exemplo viam aperire novae relaxationi inde in Monasterio sequuturae, peccabit mortaliter si absque rationabili causa in hoc persistat inordinationis exemplo. Matth. 18. *Vae homini illi per quem scandalum venit.* Nec est exiguum scandalum, quo bene constitutum Monasterium, hoc est congregatio hominum, qui ex sua professione & instituto tenentur ad perfectionem eniti, cadit in notabilem & communem relaxationem. Est enim Religio, ut docet Sanctus Thomas, status perfectionis acquirenda. Illa autem perfectio debet conformari & dirigi secundum Regulam, sub qua quis professus fuit. Inobedientia quoque erga regulas cujusque Regularis Ordinis, quae procedit ex earum contemptu, mortifera est, etiam si hac occasione alii non depravarentur; quia nihil tam adversatur acquirenda perfectioni religiosa, sicut contemptus vel ipsius perfectionis, vel mediorum quibus acquiri possit & debeat. Haec autem media in Regula cujusque Ordinis propria continentur.

X. Quaestio gravissimi momenti nunc est discutienda, utrum Religiosus sub mortali teneatur Regulam servare, qui professus fuerit in Monasterio in quo ipsa Regula communiter non servatur, neque ullam habuit à Suprema Sede mitigationem vel dispensationem: ut si sit professus in Monasterio Benedictinorum, in quo carnes communiter comeduntur; aut Francisca-

norum, in quo pecunia recipiuntur, supponendo quod ille professus hanc introductam reperit consuetudinem, nec se ulterius intenderit obligare? Circa hoc duæ sunt Doctorum sententiæ: prima quidem negat hunc Religiosum à mortali excusari. Sic docet Angelus de Clavasio Religiosus Franciscanus, verb. *Religiosus*, num. 32. Ad hanc verò objectionem, quod nemo amplius obligetur, quam se intenderit obligare: respondet istum, licet non intenderit explicitè se obligare, intendisse tamen implicitè, quatenus qui se sponte obligat ad principale, quod est esse Religiosum in tali Ordine, obligat se hoc ipso ad accessorium, hoc est ad Regulam talis Ordinis: sicut accideret in eo qui se sacris Ordinibus alligaret, non intendens continentiam, ad quam nihilominus teneretur ipsa vi suscepti à se Ordinis sacri. Idem docet Joan. Major in 4. dist. 38. q. 20. ubi taliter professum dicit ad servandam Regulam obligari in eodem Monasterio, aut si ibi non possit, teneri ad aliud melioris observantiæ Monasterium transire. His contentit Prosper Fagnanus in cap. *Cum causa*, de elect. num. 33. addens omnes ferè Monachos, apud quos collapsa est Regula, si non sit cum ipsis à Papa, vel à Concilio dispensatum, proficisci in infernum. Hac ratione dispensatum fuit cum Religiosis Franciscanis, exceptis Capucinis & Fratibus de Observantia, ut non astringantur ex parte Regulæ Fratrum Minorum, quæ prohibet Fratibus prædia, seu bona immobilia in commune possidere.

XI. Illa quædam vera est sententia, quæ tamen limitanda videtur eatenus, dummodò relaxatio illa communis non sit recens introducta, sed longi temporis duratione roborata fuerit: aut si recens fuerit, excusandus sit is qui professus fuerit ex sua bona fide & ignorantia non culpabili, tam Juris, quòd scilicet ignoraverat hanc obligationem, quæ non est Juris naturalis ita primitivi, quin possit ab uno aut altero inculpabiliter ignorari: quàm facti, quòd scilicet nesciverit fuisse actu ipso ante breve tempus introductam in Monasterium relaxationem. Utraque ignorantia facile excusabilis est in nonnullis adolescentibus idiotis, ac rudibus, qui profitentur bonâ fide, dummodò bona fides professionem præcedat. Hanc exceptionem à peccato excusantem, & à Regulæ simul observatione exactiore, quandiu nova reformatio non supervenerit, admittunt ut peccati exclusivam Abbas, Sanctus Antoninus, Cardinalis Florentinus, Aufrelius Tolosanus, quos citat & sequitur Navarrus in Manual. cap. 12. num. 50. item Lopez tom. 1. cap. 45. ubi ait, ut quis professus non astringatur ad Regulas sui Ordinis, quas consuetudo contraria relaxavit, non esse necesse eam relaxationem fuisse à tempore cujus initii memoria non extet: Lopez & S. Antoninus hoc idem docent 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 11. & 13. fuere ambo Religiosi Dominicani. Et verò constat inveteratam humanarum Legum, sive Civilium, sive Ecclesiasticarum, quantumvis initio receptorum desuetudinem vim ac obligationem earundem abolere, cap. ult. de consuetud. Hæc de Regulis & Constitutionibus. Quæ enim pertinent ad trium solennium votorum substantiam,

substantiam, cum eorum obligatio sit divini juris, non possunt ulla defuetudine etiam immemoriali ullatenus perimi. Regula porro non est de essentia voti obedientiae, cum consistat regularis obedientiae votum in subjectione Ordinis & Superiorum. Etiam si verò dici soleat, consuetudinem transgressionis praecepti esse argumentum contemptus, id non est usquequaque verum: potest enim ea consuetudo ex infirmitate animi vel corporis, aut ex defectu fervoris, aut etiam ex alia prava animi dispositione proficisci, citra contemptum qui malitiam habet comitem, ut rectè docet S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 9. & ibidem Cajetanus. Istiusmodi tamen consuetudo frequenter contemptum parit.

XII. Igitur ratione voti obedientiae tenetur Religiosus nihil agere, vel omittere, sive contra Regulam, sive contra Superioris mandatum per contemptum, alioqui se mortiferi peccati reum constituit. Hoc docet S. Bernardus tract. de praecepto & dispensatione. *Venialis (inquit) est culpa inobedientia, si quidem transgressio non sit ex contemptu.* Et S. Thomas loco cit. quem cæteri omnes sequuntur. Censetur ex contemptu ille transgredi, qui hac mente sive Regulam, sive Superioris iussionem violat, ut praefractè ostendat se ista nihili pendere, quanvis alioqui iussio illa vel Regula non obligassent sub mortali, aut ne quidem etiam sub veniali culpa, ut sunt consultioria tantum, aut exhortatoria praeceptiones, juxta Navarrum cap. 23. num. 41. Lessium lib. 2. cap. 46. dub. 6. contra Cajetanum in Summula, verb. *Inobedientiam*, & Lopez, & Valentiam, existimantes posse esse venialem inobedientiam formalem, quæ scilicet ex contemptu nascitur, aut materiae parvitate: cui opinioni parum aut nihil esse fidendum reor. Sanè contemptum minùs deliberatum, subitaneum & imperfectum, non esse plusquam venialem, universi eruditi consentiunt. Animi namque subreptio in quacunque materia excusat à mortali culpa, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 88. art. 5. & 2. 2. quæst. 33. art. 5. & quæst. 58. art. 3.

XIII. Ubiunque sive Lex, sive Regula, sive Superior præcipiens aliquid non intendit ad mortale peccatum obstringere inferiorem, is qui simpliciter citra grave scandalum vel contemptum transgreditur, non plusquam venialiter delinquit, ut supra ex S. Bernardo, & ex S. Thoma docui. Prælatus autem non censetur cum tanto onere præcipere, nisi suis verbis hanc tam strictam obligationem se intendere manifestet, ut si non obtemperaturo excommunicationem interminetur, aut si in virtute sanctæ obedientiae jubeat, quæ est communis in Cœnobiis formula, ex se quidem non significans sufficienter hoc tantum onus, cum possit horum verborum vis exponi quoque pro exhortatione ad opus perfectioris & supererogatoriae obedientiae. Sed usus invaluit, ut his verbis intelligatur aliquid mandari sub obligatione mortalis delicti. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 74.

XIV. Egregiè sanctus Bernardus, quem cæteri omnes in hac re ducent sequuntur, tract. de praecept. & dispensat. sic distinguit Superiorum præcepta,

ut sint vel secundum Regulam, vel contra Regulam, vel supra Regulam, vel infra Regulam. Ita ut in illis quæ sunt secundum Regulam debeant subditi morem gerere Prælati. Ex aduerso in illis quæ sunt contra Regulam, debeant non obedire. At in illis quæ sunt supra vel infra regulam, possint quidem obtemperare etiam cum virtutis & meriti augmento, atque ad maiorem perfectionem; ad hoc tamen nulla teneantur obligatione. Cujus hanc rationem ille profert, quia Religiosus quum est obedientiam professus, ad eam solam se astrinxit, quæ cum regulis Ordinis, ad quem ingressus est, conformitatem habet. Itaque si Superior in Ordine S. Francisci præcipiat suis, vel alicui de suis perpetuam carniū abstinentiam, quam Regula S. Benedicti injungit, nemo illi tenetur obtemperare, quia id est supra Regulam S. Francisci, quam ipse cum suis professus est. Idemque neminem suorum obligabit ad parendum, si jubeat ut artem citharizandi addiscant, quia istud est infra Regulam. Si verò idem subditis jubeat ut pecunias ad proprium vel Monasterii usum coercerent, omnes tenebuntur hoc respicere, quia est contra Regulam Ordinis Franciscani. Idemque si quid præcipiat oppositum justis altiorum Superiorum mandatis, puta Summi Pontificis, aut Superioris Generalis, aut Capituli, aut Provincialis, tenebitur subditus obedientiam ei recusare, quia hoc fieret contra debitum obedientiæ ordinem & normam. Sanè potest quis Regularis Superior sibi subditis quædam ob justas causas imperare, quæ licet videantur supra Regulam, verè tamen non sunt supra illam, quatenus Regula intendit bonum ac regulare Ordinis regimen. Tale verò regimen permittit, atque etiam flagitat aliquando, ut sive ad pœnam delictorum, sive ob publicas necessitates injungantur pro Superiorum prudenti arbitrio vel privata, vel communes sive orationes, sive pœnitentiæ, ac austeritates, quanvis has speciatim Regula non injungat. Atque in his si modum non excedant, incumbit parendi officium.

XV. Præterea justa & rationabilis dispensatio non est contra Regulam, quatenus justo regimini Regula ipsa suffragatur. Atqui justum regimen exigit ut Superiores discernant quandonam opus sit dispensare, aut dispensationem declarare aliquem ex subditis; quo casu debet subditus obtemperare. Angelus verb. *Religiosus*, num. 29. Navarra cap. 23. n. 39.

XVI. Hoc præterea sciendum, Regularem qui sancta ductus intentione instaurandæ collapsæ regularis disciplinæ, molitur Ordinis aut Monasterii reformationem, observatis debitis circumstantiis, non teneri ea in re dependere à Superioribus relaxationi addictis, quia eorum in his prohibitio foret contra Regulam, contra quam non est illis obtemperandum. Atque ita se gessit timoratissima virgo S. Theresia, quæ de seipsa scribit vitæ suæ cap. 13. cum Superior suus Provincialis recusaret ei licentiam reformandi Monasterium, se tamen à sancto proposito non destitisse; sed interposita sorore sua novam domum ejus nomine coëmisse, incio Provinciali Prælati, ad novam Reformationis foundationem, quam ille si scivisset, erat impediturus.

XVII. Quæres

XVII. Quæres num teneatur inferior obedire Superiori in dubio? Respondeo cum distinctione. Vel dubitat inferior, utrum qui præcipit sit verus & legitimus Superior, vel dubitat de materia præcepti, an sit licita aut obligatoria. In primo casu de dubio circa personam præcipientis, vel favet ei communis Regularium opinio, quanvis pauci aliqui dissentiant, credentes non esse legitimum Superiorem; & tunc debet inferior sic dubitans adherere communi iudicio, & ita obtemperare. Communis enim opinio facit jus, l. *Barbarius*, D. de offic. Prator. Si verò non faveat communis Religiosorum opinio, non tenetur dubitans illi obedire; in dubio etenim melior est conditio suam possidentis libertatem, cap. *In dubio*, de regul. jur. in 6. De materia verò præcepti, si inferior dubitat num licita sit, non ei licet in ea re obedire quandiu perdurat dubium: sic enim peccaret dum se peccati periculo exponit. Hoc tamen dubium practicè convenit ei deponere, iudicando hoc sibi licere in hac saltem circumstantia rei à superiore sibi injunctæ; sèquè determinando per illius, cui obtemperare tenetur, iudicium & voluntatem. Cùm enim in re dubia homo se frequenter determinet per alterius suasionem & consilium, cui tamen non habet obtemperandi obligationem, multò major ratio est submittendi se in re dubia illius arbitrio, cui debet ex officio subjici: non enim justum est ut ex inferiorum ambiguitatibus dependeat Superiorum jus & authoritas præceptiva, aut prohibitiva. Hæc est doctrina S. Thomæ 1.2. quæst. 96. art. 6. in corp. & ad 2. S. Bonaventuræ in 2. dist. 39. art. 1. quæst. 3. Angeli verb. *Obedientia*, num. 6. Sylvestri verb. *Obedientia*, num. 2. Lessii lib. 2. cap. 41. num. 76. Adèd ut dubium practicè desinat in præsentibus circumstantiis, quanvis fieri possit ut speculativè perseveret, hoc est dubitet utrum extra præsentis circumstantias hoc sibi liceret. Ratio verò practicæ hujus determinationis est ista, quia Superior est in possessione juris imperandi, quo jure non est spoliandus per sibi subditorum dubitationes, quos jam constat in ejus arbitrium ablicasse propriam libertatem. Item Superiores singulari modo à Domino gubernantur in subditorum regimine. Præterea prudentis est in ambiguis Superiorum iudicium sequi, quos Deus sui loco posuit, & quos Dei loco subditus agnoscit & colit. Denique exinde quod quis obedire renuat sine evidenti, quam possit allegare, causa, potest nasci in subdito causa sibi imputanda alieni scandali, & pravi exempli. His adde Sacros ipsos Canones nobis illustre documentum præscribere, quomodo nos in ambiguis gerere teneamur, cap. *Inquisitioni*, de sent. excomm. ubi statuitur conjugem qui certò scit impedimentum sui matrimonii, quod tamen probare non potest, teneri suam recusare obedientiam ipsi Ecclesie jubenti sub poena excommunicationis, ut debitum conjugale reddat, quia sic obediendo peccaret mortaliter: sed si credat tale impedimentum ex causa probabili & discreta fundante dubium aut opinionem probabilem, non posse illo casu exigere, sed tamen debere officium conjugale petenti reddere, ne pars altera
suo

fuo jure fraudetur. Sed si hoc dubium vel opinio habeat leve aut temerarium fundamentum, posse ex Pastoris sui consilio non solum reddere, sed etiam exigere debitum, postquam illi consilio acquiescens suam levem & temerariam credulitatem practicè saltem deposuerit.


XVIII. Demùm adverte, nullum Superiorem, sive regularem, sive secularem, quinimò nec ipsum quidem Summum Pontificem, posse ad aliquid obligare sub peccato mortali, nisi ex gravi causa & capaci tantæ obligationis, sive per se, sive ratione circumstantiarum, quæ rationabilem sic imperandi causam inducant. Potestas enim Superioribus à Domino collata fuit ad bonum, & non in perniciem animarum, & ut ait Paulus 2. Corinth. 13. in ædificationem, & non in destructionem. Unde nec ipsa divina præcepta obligant sub mortali culpa, nisi gravis materia subsit. S. Bernardus tract. de præcepto & dispensat. Sylvester verb. *Religio* 6. q. 6. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 75. addens hanc esse communem Doctorum sententiam. Obedientia Ecclesiasticæ institutioni rependenda tria personarum genera recitationi Divini Officii, seu Horarum Canonicarum astricta tenet. Primò, Religiosos professos choro deputatos: secundò Clericos sacris initiatos Ordinibus: tertio Clericos Beneficia possidentes. Non eximuntur ab hoc Officio sacri aut beneficiati Clerici, sive in exilium, sive ad triremes, aut perpetuos carceres compulsi, aut degradati, juxta omnes ferè Doctores: non tamen his licet proferre, *Dominus vobiscum*. Ratio est, quia vinculo alligantur indelebilis characteris. At verò Religiosi nullatenus sacri, ad triremes amandati, aut ex Monasteriis ejecti, ab hoc onere liberantur. Cum enim in eis istud onus officii ex sola Monasteriorum consuetudine, aut Regula Monastica præscripto ortum ducat, quoties Religiosi ex Monasteriis & communi Regula ejiciuntur, tamen voti castitate adhuc adstringantur, non tamen Regularibus observantiis: quippe qui translati sint ex illo statu & conditione, quæ ipsos Officio Divino tenebat devinctos, & monasticis, à quibus amoti sunt, institutis. Ita Sotus lib. 10. de justit. quæst. 5. artic. 3. Bonacina tract. de privata Officii recitat. disput. 1. quæst. 2. punct. 2. num. 3. & 6. quanvis Suarez, aliique non pauci refragentur. Eadem pariter ratione Moniales, quæ dissipatis, sive ob extremam rerum omnium indigentiam, sive ob belli calamitates cenobiiis, privatam ad sortem, & societatis cenobiticæ expertem redactæ sunt, exsolvuntur ab ista Divini Officii privatim recitandi obligatione, quatenus à statu illo remonentur, in quo vigeat illa obligatio. Atque ita decerni, ac defini vidimus ab Episcopis & Regularium Prælatiis, ingruentibus hujuscemodi casibus. Sed si aliò communitas Monialium simul digrediat, illa in eisdem officii persolvendi obligatio perdurabit, adhuc perseverante regulari inter ipsas societate. Ad hoc argumentum spectat caput *Ex multa*, §. *Quod autem*, de voto, sanciens uxorem quæ viro suo adherere tenetur, non tamen hac lege teneri, si vir ad transmarina etiam ex voti necessitate proficiscatur;

proficiscatur; quia sic mutato pristino statu, pristina quoque desinit, ac dirimitur obligatio.



CAPUT XXII.

De paupertate Regularium.

I. UPLEX est Regularium paupertas; una quidem generalis ac essentialis, alia particularis & accidentaria. Generalis ea est, quâ omnes & singuli Religiosi, nemine excepto, astringuntur in vim communis voti paupertatis: & dicitur quoque essentialis, quia totum quod habet, ad essentiam pertinet paupertatis; & si quid inde minus ac demas, hoc ipso deperibit religiosa paupertas. At verò particularis seu accidentaria paupertas adjungit rigorem & observantiam particularem aliquam pro Regularum & Constitutionum diversitate, supra id quod omni religiosæ paupertati essentialis est. Et ita facile contingit, ut iisdem in circumstantiis aliquis Religiosus strictioris Ordinis, exempli causâ Capucinus, aut Discalceatus Carmelita, peccet mortaliter contra professam paupertatem; in quibus tamen circumstantiis Religiosus aliquis laxioris aut mitioris Instituti, verbi gratiâ Benedictinus, provifus de Beneficio, vel de Pensione Regulari, nullatenus peccabit. Ita distinctio planè est necessaria ad discernendum quid liceat, vel non liceat huic, vel illi Religioso circa professam à se paupertatem, & quodnam peculium vel iste, vel ille Religiosus licitè, aut illicitè habere possit.

II. Tripliciter potest intelligi de quo tractamus peculium. Primò ut sit in dominio & potestate possessoris: secundò ut versetur in pleno usu vel usufructu, de quo possit quis ad suum libitum disponere, atque independentè ab alio: denique tertid, ut sit in usu & administratione, quæ ad alterius arbitrium possit revocari. Duæ illæ priores peculii species secum involvunt proprietatem & independentiam, ideoque repugnant Regularium paupertati, cap. *Non dicatis*, 12. q. 1. & cap. *Monachi*, de statu Monach. Quinetiam sic decernit caput *Cum ad monasterium*, eod. tit. *Nec estimet Abbas quod super habenda proprietate possit cum aliquo dispensare, qui abdicatio paupertatis, sicut & custodia castitatis, adeò annexa est Regula Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere.* Hoc intelligendum est stante voto, nec ex rationabili, simulque urgente causa per dispensationem relaxato. Tertium porò peculii genus religiosæ paupertati essentiali non adversatur, dum conceditur usus vel administratio per Superioris sive expressum, sive tacitum consensum; sic tamen ut ejusdem voluntate revocari queat. Tale namque peculium Religioso conceditur, cap. *Monachi*, §. *Qui verò*, & cap. *Cum ad monasterium*, §. *Tales autem*, de stat. Monach.

III. Tacitus

III. Tacitus Superiorum consensus plerumque colligitur ex usu qui viget in Monasterio, vel in ipso Ordine, in quo peculia ista permittuntur seu tolerantur à Superioribus, aut longo usu robur acceperunt, aut etiam ubi Statuta & Constitutiones editæ sunt circa hujuscemodi. Tunc enim Religiosus his fundatus possidens aut alienans, non possidet vel alienat tanquam dominus aut proprietarius, sed dependenter à Superiorum, aut ipsius Ordinis concessione. Id verò sufficere ad conscientiam tam Religiosi possidentis vel distrahentis, quam ejus qui ab eo accipit, docent Navarra, Valentia, Molina, Sanchez, Lessius, Azorius, & Bonacina tract. de largition. muner. puncto 6. propos. 2. num. 11.

IV. Norint autem Regulares, nullam esse præscriptionem adversus ea quæ sunt Religioni essentialia, & cum votorum observatione incompatibilia, qualis est proprietas ac dominium. Rectè verò S. Basilius Constitut. monast. cap. ult. docet omnem ad hoc astringi Monachum, ut à se omnem abdicet privatam possessionem.

V. Clemens Papa VIII. in Bulla 28. incipiente *Religiosè*, prohibet Religiosis quidquam elargiri, nisi accesserit consensus Capituli generalis, solis exceptis levioribus esculentis & poculentis, atque munusculis ad devotionem pertinentibus, necnon pecuniis quæ ad cultum divinum aut in elemosinas magis necessarias impenduntur. Excipit autem ab hisce prohibitionibus Religiosos Ordinum Militarium, ut Sancti Joannis Baptistæ & similes. Ista tamen Constitutio per contrariam ubique ferè consuetudinem videtur abrogata. Et qui eam commentariis illustravit Bonacina scribit, Regulares nequaquam illi contravenire, qui magnam etiam pecuniæ summam impendunt de Superiorum Ordinis sui consensu in res divini cultus, aut in pauperum subsidium.

VI. Verùm à prædictis excipiuntur Regulares beneficiarii: si enim Bonacinæ fidem habemus in eodem Commentario, p. 2. num. 2. & Navarrae & aliis ab eodem adductis testibus, Beneficia dispositioni Prælatorum aut Conventuum minime subjiciuntur, ex quo particularibus Religiosis fuere assignata. Additque jus idem extendi ad pensiones attributas aliquibus Religiosis per Prælatos Regularium, aut per Monasteria, ad eorum victum & proprios usus, de quibus etiam nullas reddere solent rationes Prælati aut Monasterii: ita ut scribat, de iis quæ victui suo moderato per parcioniam subtraxerunt, posse istiusmodi Religiosos beneficiarios pro suo libito ad quoslibet non illicitos usus impendere. Quod idem repetit in tract. de oblig. benef. disp. 4. p. 2. num. 23. ibique disertè asserit, Religiosos Beneficia habentes posse ad libitum instar Beneficiorum secularium de illa fructuum parte disponere, quam honestæ suæ sustentationi parcius vivendo subtraxerint.

VII. Veruntamen hæc tam absolutè per Bonacinam & alios quosdam asserta voto solenni paupertatis directè repugnant: cui nihil tam est oppositum, ut proprietas vel usufructus independens, quæ quidem nec in Militariis

taribus quidem Ordinibus admiserim. Magis itaque placet Azorii doctrina recipienda tam in beneficiatis Monachis, quam in Militibus Religiosis. Sic igitur ille tom. 1. lib. 13. cap. 4. quest. 9. *Uterius etiam queritur, an Religiosi Militares, v. g. Hierosolymitani Equites, reddituum ipsis commendatorum fructus sibi acquirant, eosque faciant suos, ac liberè in usus quos voluerint, impendere possint? Quidam existimant esse fructuum dominos, & paupertatem, quæ per votum astringuntur, non repugnare dominio usufructus, &c. Respondeo paupertatem quam Hierosolymitani Milites & Equites S. Joannis, S. Jacobi, & Calatrava, & Alcantara in Hispania, & alii Commendatarii voverunt, non esse eque arctam ac Monachorum & Mendicantium; hi enim se abdicant dominio & usu rerum, qui in jure, non in facto consistit: illi vero Milites dominium quidem & proprietatem dimittunt, sed non jus ad usum. Ordo enim concedit eis ut annuos redditus percipiant ad vita tempus, ita ut de fructibus possint liberè disponere ut jure sibi debitis quoad usum, eosque locent, permittent, vendant, donent vel arbitrarij suo abstinent, ut ex bonis sui Ordinis & consensu suorum Superiorum jure perceptos. Etsi verò in facto parum quoad hoc à laicis proprietariis differant; in jure tamen differunt, quia laici percipiunt propria autoritate quasi domini: Milites verò Sacri ut ex alienis bonis, scilicet Ordinis, sed sibi commendatis, atque ex Superiorum nutu & voluntate percipiunt. Hactenus Azorius. Dicendum igitur, Beneficiarios Regulares, sive Benedictinos, sive Canonicos Regulares, quanvis habeant liberam fructuum dispositionem, non tamen esse eorum dominos; quia libera illa fructuum dispositio non est tanquam propriorum bonorum, sed tanquam bonorum Ordinis, quorum dispensationem & administrationem ipse Ordo ipsis indulget. Atque istud est tertii generis peculium, cujus sunt capaces aliqui quorundam Ordinum Religiosi.*

VIII. Sed & hoc insuper tenendum est, illam Beneficiorum Religiosorum dispensationem ac usum circa fructus, minus liberam esse quam quæ Militibus Regularibus competit. Cum enim horum vivendi ratio in externis nihil à ratione differat, quam sequuntur Nobiles opulenti seculares, cum quibus etiam versari Sacri Milites ordinariè solent, eadem uti liberalitate possunt in rebus licitis, quæ solent alii paris conditionis Nobiles opulenti, peræque ab avaritia & prodigalitate alieni. Ubi tamen Sacri Equites per excessum peccarent, gravius esset horum peccatum quam reliquorum Nobilium Seculi: tum quia rebus sacris, quales sunt Commendarum fructus, abuterentur: tum quia pias fundatorum intentiones eluderent; non tamen harum superfluarum & illicitarum expensarum restitutioni obnoxii essent, cum tamen reliqui omnes Regulares beneficiarii, qui Beneficiorum fructus malè consumpsere, teneantur vel pauperibus, vel Ecclesiis restituere. Hæc ferè Azorius loco cit. Hac tamen parte Regulares Milites admonitos volo, ut meminerint, & altè animo insigant Apostolica verba: *Nolite conformari huic seculo. Et, Totus mundus in maligno positus est. Et, Ut non cum hoc mundo damnemur.* Divites seculares splendidius viventes, nec egenis cro-

gantes, eidem cum divite illo, quem Lucas commemorat, epulone damnationi se immergunt. Sed Equitibus Regularibus sic viventibus fortior etiam instat cruciatio ex superaddito votorum solennium arctiori nexu.

IX. Gravis quaestio est, utrum census vitalitius in favorem Religiosi constitutus, sit licitus, necne? Respondeo cum Lessio lib. 2. de just. cap. 4. dub. 5. num. 31. & Azorio tom. 1. lib. 12. cap. 9. q. 2. licitum esse, modò concurrant simul quatuor conditiones. 1. Ut census assignetur propter alimenta usufque necessarios, & nullatenus superfluos ipsius Religiosi. 2. Ut administratio pecuniae censualis non committatur ipsi Religioso, sed aliis, puta Officialibus, per quos in usum talis Religiosi pecuniae expendantur, juxta Decretum Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2. 3. Ut Religiosus cujus gratia constitutus fuit census, nihil sibi juris in eum vendicare possit. 4. Ut Praelato Regulari liberum sit illum etiam censum in alios usus destinare, dummodò aliunde talis Religiosi necessitatibus certò & securè provideat.

X. Quaeritur praeterea, utrum Religiosus qui suam proposuit indigentiam circa necessitates suas proprio Superiori, & hic ei injustè denegar, v. g. necessarium morbo medicamen, cibos, vestes, stragula, unde grave patitur, aut proximè imminet incommodum, possit occultè de Monasterio subripere sibi necessaria? Possè affirmat Bonacina tract. de restitut. disp. 2. quaest. 10. punct. 3. post Navarram, Azorium, aliosque, quos ibi citat. Tunc enim Superior iste irrationabiliter invitus, & subditus illi Religiosus habet ab ipsa naturae lege jus suis necessitatibus succurrendi. Verumtamen Religiosus usurpans sibi necessaria absque Superioris licentia, eoque inconsulto, peccat mortaliter ac dupliciter, tum ratione furti, tum ratione sacrilegii, contra paupertatis votum usurpando sibi proprietatem & dominium. Itaque non potest Regularis quidquam pro suis necessitatibus subripere, nisi priùs urgentem, quam patitur, necessitatem Superiori expoluerit, illeque providere neglexerit.



CAPUT XXIII.

Quatenus sit licitus ad alteram Religionem transitus.

I. **D**UABUS primariis regulis tota ista quaestio expeditur. Primùm esse illicitum transitum à strictiore ad laxiorem Religionem. Secundò neque licitum esse digressum ab Ordine Mendicantium ad alium Ordinem non mendicantem, excepto Cartusienfium Ordine, sub poena excommunicationis Papae reservatae, ipso facto incurrenda tam à transeuntibus quam à recipientibus Religiosis, juxta Extravag. communem 1. de Regularibus.

II. Constat ex cap. *Sane de Canonico*, de Regular. Religiosum professum posse

posse ad strictiorem Religionem transire, dummodò à suo Superiore licentiam petierit, quanvis eam ab eo non obtinuerit, nihil obstante suæ Religionis privilegio de non transeundo in alium Ordinem. Docent verò Navarra consil. 43. & Sà in exemplaribus emendatis, verbo *Religio*, n. 38. de quolibet Ordine posse quemlibet Regularem ad Cartusiensem Ordinem se transferre, citra ullam Papæ dispensationem: quandoquidem hoc à Jure communi conceditur, d. Extrav. 1. quæ est Martini V. Idemque Navarra de Regularib. comment. 4. n. 3. asserit, si sit probabile dubium, quamnam post Cartusienfes sit Religio strictior, debere Religiosum qui transire in alium Ordinem prætendit, stare judicio proprii Superioris.

III. Et si verò perfectio unius Religionis præ alia ex fine judicanda sit, & ex meliis per quæ tendit ad finem, qui est amor Dei & proximi, præsertim circa procurandam animarum salutem, ut docet S. Thomas; attamen in foro Ecclesiastico ubi agitur de transitu in alteram Religionem, attenditur potius major vitæ asperitas seu austeritas, præsertim circa silentium & solitudinem. Layman lib. 4. tract. 4. cap. 6. num. 10. addens majorem austeritatem non esse pensandam dumtaxat ex primitivo Religiosi Ordinis Instituto, sed secundum præsentem observantiam: atque adeò Religiosum, qui strictiorem Regulam professus sit, si jam illa Regula non servatur in Ordine, posse ad laxioris Instituti Religionem transire, in qua primitiva Regula servatur & viget. Layman, loco cit. post Panormitanum ad cap. *Licet*, notabili 9. de Regular. qui etiam id probat ex verbis ipsis d. c. *Licet*, & cap. *Sanè*, de Regular. Sylvestrum verb. *Religio* 4. n. 2. & 6. Prosper etiam Fagnanus id confirmat ad cap. *Non est vobis*, n. 25. eod. tit. Quin etiam ante hos omnes S. Thomas 2. 2. q. 189. art. 8. in corp. qui hanc doctrinam confirmat exemplo Sancti Joannis Abbatis apud Cassianum collat. 19. cap. 2. 5. & 6.

IV. Nemo Regularis absque Summi Pontificis dispensatione transire potest ad laxiorem Ordinem. Concilium Trident. sess. 25. c. 19. de Regular. etiam si (ait Navarra de Regularibus comment. 4. num. 3.) ex infirmitate ac debilitate corporis Regulam suam servare non possit.

V. Disputat prolixè Carolus Fevretus lib. 2. de Abusu, cap. 3. de translatione Monachi ad diversum Monasterium alterius Ordinis; asseritque hanc esse praxim Gallicanam, ut illa nullatenus valeat, nisi ex peculiari Papæ dispensatione. Utrumque res ea sit, ipse viderit: non tamen rectè hoc probat adducens Senatusconsultum Parisiense, quo Abbas Sancti Petri Vivi, eo quòd habitum Benedictinum indulgisset quibusdam Regularibus Franciscanis, compulsus sit eisdem cum Franciscano Habitu repetenti Franciscano Prælato restituere. Id verò Senatusconsultum nihil decernit, nisi communi Juri Canonum conforme, quod in universa viget Ecclesia, juxta Martini Papæ extravag. 1. de Regularibus, quæ sic incipit, *Viam ambrosiæ*, qua prohibetur Mendicantium Ordinum Regularibus ad alium quemcunque Ordinem transitus, excepto Cartusiano, citra licentiam supremæ Sedis. Ea verò constitutio non revocat licentiam generalem Canone indultam.

dultam pro transitu ad austerioris observationis Ordinem, iis qui in Ordine Mendicantium professionem emisierint. Sic non raro evenit, ut nonnulli præcipitato iudicio ad jus Galliae speciale trahant Curiarum placita prorsus Juri communi consentanea. Cum igitur Fevretus nullâ aliâ probatione nitatur, ejus testimonium, si aliud argumentum solidius non occurrat, nihil in hac re convincit de Galliae consuetudine peculiari.

VI. Eidem tamen Fevreto in eodem capitulo lubens assentio, quaestionem moventi de Abbatis Commendatarii potestate circa subditorum Monachorum translationem in diversa à se dependentia Monasteria; est enim rationi congrua illius distinctio ista: vel Monachum transfert per dependentis à se monastici Beneficii collationem, & sic legitima est illa translatio; quandoquidem Commendatariis Abbatibus competit libera Beneficiorum collatio, ex qua sequitur in proviso jus & obligatio residendi: vel Commendatarius aliâ, quam collationis viâ illam transferendi potestatem sibi vindicare intendit, verumtamen jus illud non aliter habet, nisi Cardinalis dignitate præfulgeat. Enimverò jus istud soli competit Commendatario Cardinali; necnon Priori Claustrali, qui solus professiones solennes admittere potest, cui spondetur obedientia regularis, inhæret, utpote ad quem spectat interius ac regulare Monasterii regimen. Ibidemque ita iudicatum refert à Senatu Divionensi adversus quemdam Commendatarium, additâ etiam pecuniariâ multâ, Febr. 17. an. 1617.

VII. Commendatarius perpetuus, quanquam à solo Papa provifus hac lege, ut cessum aut decessum provifi desinat Commenda, tituloque redintegret potest nihilominus Commendæ suæ renunciare in favorem apud Papam, vel absolute ac simpliciter in manus Ordinarii, qui non poterit eandem alteri conferre Commendam, sed solum in titulum, nisi sit Consistoriale Beneficium, de quo solus Papa disponendi potestatem habet. Etiam si verò post Commendam Papæ finitam dicant Ultramontani Doctores, non posse ab Ordinario provideri in titulum, eo quòd Beneficium per eam, quæ præcessit, Commendam sit jam Summo Pontifici affectatum: in Regno tamen Franciæ contrarium jus usu indubitato viget, ut possit Ordinarius postquam Commenda Papæ desit, de titulo providere ad libitum, ut scribunt unanimes Gallicani Jurisconsulti, Rebuffus tract. de pacific. possess. num. 46. & seqq. Guido Papæ quaest. 152. Ruzeus tract. de Commendis, quaest. 6. Fevretus lib. 2. cap. 6. n. 24. Qui iidem docent præterea Gallicanam istam praxim fundari in Concordato Bononiensi, quo reservationes sublatae sunt in Gallia, tit. de reservationibus. Iidem quoque tradunt, in eodem Regno Commendas perpetuas solere permutari cum Beneficiis in titulum collatis, hisque suffragatur Imola in cap. sin. de rerum permut. & Federicus tract. de Beneficiorum permut. quaest. 15. Afferitque Rebuffus in praxi, tit. de Commenda, num. 53. sæpius se vidisse Beneficium commendatum permutari cum alio in titulum, etiam coram Ordinario, tametsi oppositum jus in Ultramontanis partibus vigeat.

VIII. Cum

VIII. Cùm verò jus & ratio suadeant, solutâ per obitum Commendâ ad vitam concessâ, debere Beneficium in pristinum statum ac titulum resurgere: similiter si Clericus, sive sit Secularis, sive Regularis, à Summo Pontifice perpetuam habens indultam sibi Commendam, resignet dum adhuc in vivis est, hoc ipso illa, utpote dispensatoriè concessa, desinet in titulum, quo potietur is, in quem sive Papa, sive Ordinarius providerit, ut idem tradit Fevretus num.25.

IX. Quilibet Religiosus de licentia sui Abbatis potest mutari & transferri ad aliud monasterium, quod sub eodem Abbate regitur, eandemque profiteretur Religionem. Cùm verò Summo subiciantur Pontifici Monachi omnes, atque Monasteria per universam Ecclesiam diffusa, si Papa conferret, vel commendaret Religioso Beneficium aliquod in alio Monasterio, illius hoc ipso personam transferret, quia unum horum ex altero consequens est. Quia verò ad notitiam translationis Monachorum multùm eruditionis confert caput *Cùm singula*, §. fin. de Præbend. in 6. idèd huc verbatim transferendum duxi: *Prohibemus insuper ne Prioratus, vel Ecclesia, aut administrationes, seu officia unius Monasterii consueta per ejusdem Monachos gubernari, committantur deinceps absque auctoritate Apostolica Sedis alterius Monasterii Monachis gubernanda, nec hactenus commissa dimittantur eisdem, sed per eos ad quos pertinet, liberè ordinentur; cum illis non liceat habere locum in diversis Monasteriis, quorum unum ab alio non dependet; nec aliorum Monasteriorum, nisi canonicè transferantur ad ipsa, Prioratus, Ecclesias, administrationes vel officia gubernare. Qui verò contra prohibitionem præsentem prædicta de cetero alienis Monachis commiserint, vel dimiserint jam commissa, ea vice ordinandi de ipsis sint potestate privati, & de eis per Dioecesanos (si exempti non fuerint) alioquin per Sedem Apostolicam ordinetur. Si autem qui ea suscipere, vel suscepta præsumpserunt deinere, reddantur ineligibiles ipso jure.*



CAPUT XXIV.

Utrum Beneficarii, aut Episcopi olim Religiosi, aut alii etiam quilibet Regulares testari possint de fructibus à se perceptis.

I. **¶** As esse Religiosis possidere tertii generis peculium, quoad usum fructum, cum dependentia Ordinis, vel Superiorum, de quo possunt aliquatenus inter vivos, ad pias præsertim causas disponere, superius docui. Verumtamen testari nec licitè, nec validè possunt, can. *Quia ingrediens*, 19. q. 3. & authent. *Ingressi*, Cod. de Sacros. Eccles. Neque ullatenus dispensari in his potest, nisi subsit gravis & justa causa; nc

nec ab alio nisi à Papa, de iis quorum usum administrationemque habet Religiosus. Censent aliqui dispensationem hac in re nihil esse quam relaxationem voti paupertatis secundum aliquam partem. Cæterum cum ad jus testandi non requiratur necessarium dominium, sufficiatque consensus & administratio cum dependentia ad hanc rem, sicut & ad Religiosi donationem; idè melius. Et Lessius hanc dispensationem non esse contrariam voto paupertatis: atque hac ratione potest Religiosus contra Juris regulam, plus juris in alium transferre, quam ipse habeat, nimirum dominium & proprietatem quâ ipse caret.

II. Utrum verò Religiosus factus Episcopus solvatur ipso jure voto paupertatis, ac efficiatur dominus reddituum, possitque condere testamentum, celebris quaestio est. S. Thomas 2. 2. quaest. 18. art. 8. alique plerique quos citat & sequitur Sanchez in Summa, tom. 2. lib. 6. cap. 6. num. 8. negant hæc fieri ab Episcopo Religioso posse citra Papæ rationabilem dispensationem, hoc argumento, quia non laxantur religiosa professionis vota per sequentem Episcopatum, nisi quatenus muneris Episcopali tanquam majori bono obfistunt. Jus enim naturæ prohibet, ne ea quæ Deo sanctè promissa sunt, sine ulla necessitate solvantur. Universaque ipsa Ecclesia, tam Orientalis in Synodo octava œcumenica contra Photium can. 14. quam Occidentalis in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. can. 16. Monachos ad Episcopatum promotos obligat ad deferendum regularem habitum: quæ sanctio legitur & in cap. Clerici officia, de vita & honest. Cler. Atqui administratio bonorum Ecclesiæ quæ competit Episcopo, nihil obstat paupertati religiosæ, ac abdicationi dominii.

III. Ex opposito, à votis Religionis immunem fieri Episcopum affirmant Dominicus Soto lib. 7. de just. quaest. 4. art. 2. ad ult. Vasquez in p. 2. quaest. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. num. 91. in fin. & cap. 9. num. 104. ubi asserit Monachum factum Episcopum, dominium verum habere, & vinculo paupertatis solvi, atque multò magis à præceptionibus & abstinentiis in Regula præscriptis, quæ utique non pertinent ad ipsius Religionis essentialiam, ad quam tamen pertinet paupertas. Huic sententiæ favet canon Statutum, 18. quaest. 1. disertè dicens: *Monachus quem canonica electio à jure Regula monastica professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus heres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi habeat.* Quoad verò Jus Gallicanum, vetustissima & generalis in universo hoc Regno consuetudo viget, ut Religiosi facti Episcopi nulla in re pristinae Religionis astringantur, nisi ut colorem Ordinis in habitu servant. Sunt quippe successuum, aliarumque acquisitionum capaces, dominia & proprietates sibi acquirunt, disponuntque tam inter vivos quam per ultimas voluntates, pro libito testamenta condunt, & si intestati decedant, successores habent non Monasterium, non Ecclesiam, sed propinquos.

IV. Prioribus quidem Ecclesiæ seculis fas erat Episcopis etiam Monachis antea professis testamenta condere. Ex Latinis enim adhuc testamenta

testamenta supersunt Sanctorum Episcoporum Cæsarii Arrelatensis, & Remigii Rhemensis: ex Græcis verò Gregorii Nazianzeni, dum esset, ut ibidem commemorat, Ecclesiæ Constantinopolitanæ Episcopus. His successerunt intermedia secula, quibus vetitum fuit Episcopis & Clericis testari de proventibus Ecclesiæ, etiam ad pias causas, cap. *Quia nos*, & cap. *Relatum*, 12. & cap. *Cum in officiis*, de testam. quia in his rebus succedebat illis Ecclesiæ. De patrimonialibus tamen, aut aliunde quàm ab Ecclesiâ comparatis facultatibus poterant etiam ab ipsis Ecclesiæ primordiis ad libitum suum disponere, & inter vivos, & causâ mortis. Sic enim statuitur Apostolorum canone 39. & 46. *Ut Episcopi* (inquit) *quæ propria ipsorum sunt, valeant in quoscumque placuerit heredes transferre; ut tamen ad alios res Ecclesiæ minime transeant.* Et Antiochenum Concilium Julio I. Pontifice habitum, sancit can. 24. ut possit quidem moriturus Episcopus quæ sui patrimonii sunt, quibus ipsi libuerit relinquere, sed ipsæ res quas habebat Ecclesiæ, sine diminutione ipsi Ecclesiæ soli relinquuntur. Refertur in can. *Quicumque*; 9. quæst. 1. His concinit ac suffragatur canon 48. Concilii Agathensis, & Concilium I. Hispalense, Sanctusque Gregorius Papa lib. 10. epist. 42. ad Deum dedit Episcopum Mediolanensem, ac Concilium generale Lateranense sub Alexandro III. can. 15. Sed in his postremorum sæculorum hæc concidit demùm sacra hæc disciplina, invalescente contraria consuetudine, secundum quam scribit Covarruvias commentar. ad tit. de testam. num. 23. quoslibet Clericos validè testari ex usu communiter recepto de proventibus Ecclesiasticis, etiam in gratiam cognatorum: solosque Episcopos testari non posse, nisi de speciali summi Pontificis licentia. Sed & istud circa Episcopos repagulum tandem divulgum & abruptum fuit; & testatur Lessius multis locis receptum esse, ut de proventibus Ecclesiasticis indiscriminatim testentur Episcopi & alii quilibet Clerici absque dispensatione ulla. Atque hanc in universa Gallia vigere consuetudinem cernimus. Sed non obstat perversa ista consuetudo quominus qui de proventibus Ecclesiasticis in res profanas disponunt, sive inter vivos, sive per ultimas voluntates, peccent mortaliter & æternæ damnationi se obstringant.

V. In aliis quibusdam locis introductum fuit jus Spolii, quo Episcopis & beneficiatis Clericis interdicitur ultima aliorum bonorum quàm patrimonialium dispositio, ut his decedentibus succedat in bona ex Ecclesiâ acquisita non jam ipsa cui ministraverunt Ecclesiâ, sed Fiscus Pontificius. De hoc novissimo jure nihil legitur in toto corpore Juris Canonici: sed prima quam comperi ejus mentio habetur apud Guidonem Papæ decif. 110. Verùm non est receptum istud Spolii jus in Gallia, neque in Germania, neque in Belgio, neque in Lusitania. At verò in Regno Castellæ sola Episcoporum, non autem aliorum Beneficiatorum spolia Cameræ Apostolicæ acquiruntur. In Italia verò tam Beneficiatorum inferiorum, quàm

Episcoporum spolia Fisco cedunt Apostolico, ut testatur Martinus Navarra tract. de spoliis, §. 14. Azorius part. 2. lib. 8. cap. 4.

VI. Validè hoc fieri quidem videmus, ut per ultimam voluntatem Clerici de fructibus acquisitis Beneficiorum liberrimè disponant extra pias causas, atque in his etiam succedant intestatis Clericis sanguine propinquiores. Licetè tamen ac citra dispendium salutis Clericis sanguine propinquiores hujusmodi fructibus Clerici non possunt, nisi de solis illis quos parcius vivendo sibi asservarunt, cum potuissent absque peccato propriis usibus statui suo convenientibus eosdem impendere. Distributiones autem cum persolvantur quasi merces & stipendium quotidianæ operæ ac laboris, cap. *De casero*, de Cler. non resid. & cap. *Licet*, de Præbend. nec in fructibus computari debent, nec habent obligationem adnexam, ut ad opera pia profusus applicentur, non magis quam bona patrimonialia, aut ex causis profanis quæsitæ, ut communiter tradunt Doctores. Decius consil. 280. col. 1. Ancharanus in Clement. unica, quæst. 5. de concess. præbend. Rota decis. 134. in novis: Rebuffus tract. Nominationum, quæst. 9. num. 39. & seqq. S. Antoninus p. 2. cap. 1. §. fin. Sylvester verb. *Clericus* 4. quæst. 4. Barbatia in cap. ultim. de pecul. Cleric. Bonacina tract. de obligat. Cleric. circa benefic. fructus, puncto 2. num. 18. Tarradus in amplitudine Benefic. ciaria, disp. 8. quæst. 1. num. 21. 22. 23. 24. & alii.

VII. In hac verò quæstione dissentiunt ab invicem Doctores, utrum de fructibus qui congruum Beneficiorum victum excedunt, disponentes sive inter vivos, sive per ultimam voluntatem extra causam pietatis, sive ad luxum, sive ad locupletandos cognatos, teneantur restituere pauperibus, sive Ecclesiæ? Quod enim graviter peccent, indubitatum faciunt multæ rationes & Sacri Canones, præsertim Lateranensis sub Alexandro III. Concilii canon 15. relatus in cap. *Cum in officiis*, de testament. Dissident etiam Doctores, utrum illi in quos indebitè Beneficarii contulere Beneficiorum fructus, aut qui eos hereditate acceperunt, teneantur se his abdicare, & in pietatis usus transferre; an verò sibi possint retinere? Sed has expediam quæstiones infra lib. 6. ubi de restitutionibus Clericorum disseretur.